



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

** Res. 4 **
**

** Asc. **
**

** 1230 **
**

** 13 **

7° Asc. 1235 /
(13)

Opusculum



f-



DE DOCTRI-

na moriendi opusculum / necessaria ad mor-
tem foeliciter oppetendam prepara-
menta declarans: & quo modo in
eius agone varijs antiqui ho-
stis insultibus sit resisten-
dum / edocens.



Memor esto: quoniam mors
non tardat. Eccli. 14.

PARISIIS
Ex officina Simonis Colingi.

1520

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC
 Domino Ioanni Comiti & Domino de
 Gallinario monte / tum antiqua generis no-
 bilitate / tū virtutum claritate præfulgenti:
 Iudocus Clichtoueus professorū theologiæ
 minimus:foelicitatem exoptat.



Irabere forsitan clarissi-
 me Princeps / vbi primum
 huius libelli titulum fron-
 ti inscriptū lestitaueris:
 cur animo tuo / rei tristis /
 lugubris / & horridę ima-
 ginem primo occurſu in-
 geram / obijciamq; palli-
 dæ mortis speciē : quam
 mēs humana refugit ſua-
 pte natura & exhorret. quandoquidem ad amicos &
 læta conſcribi ſolent: & exhilarantia legentes. mune-
 raq; mitti non funeſta / non luſtuosa : ſed quæ gau-
 dium & iucunditatē afferant accipientibus. Quæ au-
 tem poteſt in vita eſſe iucunditas (vt apud Cicero: *Cicero.*
 nem in primo Tuſcularū quæſtionum libro: diſſe-
 rit Atticus) cum dies & noctes cogitandum ſit / iam
 iamq; eſſe moriendum? Videtur ſane id triſte ſpe-
 ſtaculum in limine obiectum (diceret quiſpiam) ſi-
 niſtrum quoddam omen prætendere. Cur (etiã in-
 quies) ſi ad cōmunē omniū vtilitatē ſcribere quicq;
 tibi collibuit: nō potius de viuēdi doctrina diſſerui-
 ſti? q̄ toti vitę humanę apprime vtilis eſt & accōmo-
 da: nec non ad extremū diē foelicititer claudēdū perq;

Epistola

necessaria. In ea certe latissimus tibi patuisset ad scribendum campus: spaciosq; tractu diffusus. fuisse item illa & lectu gratior, & recordatione iucundior: et genio nostro congruentior. Recte quidē hæc obieceris: sed nūc paucis satisfactionem nostram accipe. Probe viuendi disciplinam permulti copiose / gnauiter & splēdide suis scriptis elucidarunt: post quos nō opus fuit rem tantopere pertractatā nouis documētis illustrare. Quid em̄ euāgelicis eloquijs / apostolicisq; epistolis sacratius: quæ bene beateq; vitā hic agendi formam optimam & regulam tradunt? Quid item libris officiorū sacri antistitis Ambrosij / & Augustini de disciplina christiana sanctius: qui nostram etiā vitam sapienter instituūt? Quid deniq; Ethicis Aristotelicis / officijsq; Ciceronianis luculentius: quæ nostros mores ad prudentiæ amūssim lineamq; componunt? Moriendi vero doctrinā / oppido q̄ pauci (quos norim) digestis. certo quodam ordine præceptis tradiderunt: cum tamen haud minus fere q̄ viuendi disciplina / mortalibus sit utilis pariter & necessaria. q̄ parum admodum conferat / candide inculpateq; vitam præsentem traduxisse: nisi & transitus ex hoc mūdo beatus habeatur & fœlix. Quid enim iurat nauem per equoreos fluctus rēpestatesq; sonoras dintius deduxisse incolumē: si in ipso stationis ingressu / in ipso portus limine ac introitu scopulis illidatur / faciatq; naufragium? Quid item prodest militem strenuum in ipso belli conflictu duris sudasse sub armis / & animose cuneos hostiles fudisse: si anteq̄ receptui canatur / & in ipso certaminis exitu procūbat humi prostratus ab hoste? Quid deinq; conducit alicui / anhelocursu contendisse ad metam: si anteq̄ attingatur / defessus fatiscat & in extremo conatu deficiat?

Epistola

3

Tota sane vita nostra : cursus est cōtinuus in stadio. in quo ita decurrendum nobis est/ita sudandum ac elaborandum: vt optatam deniq; metam contingamus/& comprehendamus brauium. Verum angustus est admodum callis ille/salebrosus & anfractuosus: quo ex huius vitę curriculo transferamur ad alterius vitę sortem. Obsident illum hostiliter ac obseruant aduersarij nostri: vt in eo ancipiti periculo nos opprimant ac pessudent. Tunc tela exacuūt/arma expediunt/spicula contorquent & acrius instant: vt ex insidijs nos morti propinquos adorianť/& in angustis illis faucibus expugnent. Proinde comparanda nobis tempestiue sunt munimenta / accersendaq; p̄sēdia: quibus in tam duro & extremo cum hostibus conflictu defendamur/& totius vitę nostrę militiam fœliciter conficiamus. Et hęc quidem: p̄sēnti opusculo suppeditare/apparareq; pro viribus cōtendimus. Quod serenissimo tuo nomini nūcupatum volui splendidissime Comes: vt eo argumēto syncerum mei in te animi affectū aperte proderem. quem in me exulcitauit & inclyta tuæ nobilissime domus generositas : & eximia virtutum tuarum doctrinęq; claritudo. Enimvero si paternam tuam propaginem spectare lubet: occurrēt hinc pater Guilielmus/hinc auus illi cognominis/clarissimi de Gallinario monte Comites: nō minus pietate religionēq; in deum/ q̄ generis nobilitate spectabiles. Quam sane pater tuus: veterum monasteriorum sui comitatus a regulari disciplina prolapsorum/in debitam morum rectitudinē instauratione/& nouorum a fundamentis erectione: haud obscure declarat. Auus autē ter equestris ordinis dignitate insignitus: & a Fœderico tertio Romanorū imperatore amplissimis honoribus

a iij

Epistola

cumulatus : frequenti profecione ad sanctos beatorum apostolorum Petri & Pauli cineres Romę conditos / & ad inuisendum Hierosolymis dominicum sepulchrum : plane demonstrauit. Quid Margaritam insuper auiam tuam paternam referam : Braunschweigensis & Lunenburgensis terrę ducatu ac principatu insignem / virtuteq; non minus prestantem? Quippe quę in florenti adhuc & integra etate orbatam marito : in viduali castitate reliquam transegit vitam / vt Anna filia Phanuel non discedens a templo orationibusq; & eleemosynis quotidie insistens . Eius autem mater / cum illustri duci Cliuensis fuerit filia : te ipsum reddit Christianissimo Fracorum regi Ludouico duodecimo / superioribus annis summa cum laude regni eiusdem florētissimi diadematopotito / ex eademq; stirpe prognato / propinqua sane consanguinitate coniunctum. Sin vero ad matremnam originem tuam deflectere placet obtutum : in primis occurrit illustrissima domina Anastasia mater tua / ex Marchionibus Brandenburgensibus natalium suorum splendorem sortita / omniq; virtute conspicua. Occurrit & auus tuus maternus Albertus / Marchio Brādenburgēsis / princeps elector sacri Romani imperij : vir non minus prudentia & virtute q̄ claro stemmate spectatissimus. Occurrit demum & auia tua materna / nobilissima domina Anna : Saxonie principatu atq; ducatu iure hæreditario potita . quippe cuius pater / & dux Saxonie dum vita maneret fuit : & princeps elector imperij. Hęc etiam viduata marito / in cœlibatu quod reliquum fuit vitę exegit : manum suam aperiens inopi / cum forti muliere : quam describit Salomon / & palmas suas extendens ad pauperem. Sed quid genus & proauos

Lucę . 2 .

Prouer . 31 .

tuos recensemus generose Princeps: aut quid titulos
 maiorum tuorū longo stemmate deducimus? Nempe
 vt ostendamus tuam præstantissimam dignitatē
 a probitate auita nequaquā degenerasse: quin potius
 maiorem illis fulgorem illustriusq; decus adiecisse:
 cum hanc tantam tui generis nobilitatem studueris
 decore virtutum / ac literarum ornamento reddere
 splendidiorē. Siquidem sedulam Marthæ circa
 frequens rerum secularium ministerium solitudinis **Lucæ. 10.**
 nem missam faciens: te totum ad placidum & tran-
 quillum Mariæ ocium contulisti. sedens secus pe-
 des domini / & assiduo labore dulcia doctrinæ fluen-
 ta hauriens / vsq; adeo indefesse: vt rarus sit ad-
 modum / qui in publico auditorio ad canonicas /
 pontificalisq; sanctiones ediscendas sit frequentior:
 et in studio domestico ac priuato ad euoluendos
 libros diligentior. Testis illius locupletissimus est
 vir probitate & eruditione apprime insignis / **Qui-**
lianus Vesthausenus / præceptor tuus cubicularius.
 qui iam multos annos tuæ rectæ institutioni inten-
 tissimus: neq; oleum (vt aiunt) neq; operam per-
 didit. vt ex agri fertilitate copiosaq; messe: dili-
 gentiam agricolæ possis agnoscere / & ex larga vin-
 demia: ipsius vinitoris industriam ac operam.
 Perge igitur qua cœpisti via / serenissime Prin-
 ceptus: & in anteriora semper alacri nixu conten-
 de. Virtutem tibi potius q̄ opes: comparare labora.
 Nam (vt **Salustius** author est) diuitiarum & formæ **Salustius.**
 gloria: fluxa atq; fragilis est. virtus: clara æternaq; ha-
 betur. Enitere ad optima / incūbe in præclara (quod
 vtiq; facis) bonarum literarum studia: ex quibus
 tandem fructum suauissimum / optimum & laudæ

Epistola

tissimum carpas. Et cum secundum Nasonis sententiam laudatavirtus crescat: hac panegyrica laudatoriaq; oratione adhibitū tibi calcar esse persuade! admotosq; stimulos: quibus (etsi vltro semper cucurreris ad honesta) inciteris acrius ad cursum/promouearisq; alacrius ad amorem virtutis ac doctrine. quo ardens inflammatus: demum proueharis ad vtriusq; culmen / sublimeq; fastigium. Interea oblatum hoc chartaceū munusculum nō asperneris oro: & eius auctorem/clientulorum tuorū albo ascribi/non grauate feras. Vale vnicum Germaniæ decus & inclytum columen. Ex Parisijs/Anno salutis humanæ. 1520.

¶ De doctrina moriendi opusculum : per Iudocum Clichtoueuum Neoportuensem/ doctorem theologum/elucubratum. ad nobilissimum principem & Dominum Ioan nem Comitem ac Dominum de Gallinaria monte:& generis claritudine & virtutis splendore prestantissimum.

¶ Mortis descriptio atq; partitio : cum partium eius |adinuicē collatione| & mutua habitudine. Cap. I.



Ortem describunt authores: esse vitæ extinctionem. perinde atq; obtenebrationem: luminis in perspicuo sublacionem & priuationē. Est enim vita vt lumen : mors vero vt tenebrarum inductio. Vitam autem dicunt: congruam esse operum viuendi functionem. quæ tandiu integra consistit: q̄diu viuens munia suæ natu-

ræ accōmoda/officiaq; exercet. At quemadmodum homo ex duplici coalescit substantia|corpore & anima: ita duplex assignatur eidem vita| & duplex etiā mors: corporis inquam & animæ. Vita corporis: est vegetatio carnis| & operum naturalium in corpore humano perfūctio. Et hæc/omnibus hominibus vitales spirantibus auras: est communis. Vita vero animæ: est ipsius per fidē dilectioni dei cōiunctam spiritalis vegetatio. Quod enim prestat anima corpori: idē

- fides charitate formata & rutilus virtutū fulgor animæ rationali. Quare hæc non omnium est promiscue: sed eorum dūtaxat / qui firmo sancti amoris nexu deo copulantur. a quo viuificam in anima virtutem accipiunt: haud secus ac corpus ab anima / vegetandi & spirandi facultatē. De quibus dicit apostolus. Qui adheret domino: vnus spiritus est. Ex opposito / mors corporis: est animæ a corpore secessio atq; dissolutio. Et hæc vitam adimit mortalem: eaq; claudit. Mors autem animæ: est ipsius a deo per peccatū disseparatio. Est enim deus / vitæ fons indeficiens: & apud ipsum (vt ait propheta) fons est vitæ. imo idē / vita est æterna & primaria: a qua omnibus vitæ participatio cōmunicatur. Cum igitur anima / peccati labe cōtaminatur / & idcirco a deo diuellitur: horrendam incurrit mortem. sicut & membrum a corpore reuulsum: protinus emoritur / & computrescit. Et hanc mortem admodum noxiam / insinuat propheta in psalmo / simul & eius causam dicens. Quia ecce qui elongant se a te / peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. De eadem quoq; morte dicit propheta. Anima quæ peccauerit: ipsa morietur. Et liber Sapiētig. Os quod mentitur: occidit animam. Et rursus. homo quidem per malitiam occidit animam suam. Sane hoc duplex mortis genus innuit Augustinus: cum Augustinus ait. Mors quam timent homines: separatio est animæ a corpore. mors vero quam non timent: separatio est animæ a deo. At vitam ipsam animæ pariter & eius mortem / iam diffinitione explicatam: paucis aperit Moyses / ad populum Israeliticum ita verba faciens. Considera (inquit) q̄ hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & e cōtrario mortem & malum. vt diligas dominum deum tuum / &
1. coria. 6.
- Pfal. 35.
- Pfal. 72.
- Ezech. 18.
- Sapient. 1.
Sap. 16.
- Augustinus ait.
- Deute. 30.

ambules in vijs eius: et custodias mādāta illius & cō-
 rimonas atq; iudicia/ & viuas. Ecce vno verbo ostē-
 dit Moyses: in quo vita animæ/ morsq; consistat. in
 bonitate & obseruatione mandatorum dei: contē-
 stans animæ vitam versari. e diuerso mortem eius:
 in malitia & præceptorum dei præuaricatione. Cui
 astipulatur Ecclesiasticus: his verbis. Deus ab ini- Ecclesi. 15.
 tio cōstituit hominem: & reliquit illum in manu cō-
 filij sui. Adiecit mandata & præcepta sua/ si volueris
 mandata conseruare: cōseruabūt te/ & in perpetuum
 fidem placitā seruare. Apposuit tibi aquā & ignem:
 ad quod volueris porrige manum tuam. Ante homi-
 nem vita & mors: bonum & malum. quod placue-
 rit ei: dabitur illi. ¶ Ceterum hæc quatuor iam
 assignata membra: cōbinationes inter se ex mutua
 collatione/ & connexiones aliquot constituūt. Nem-
 pe in eodem nonnunq̄ est reperire vitam corporis
 itidem & animæ. vt in eo qui mortalem hic degit
 vitam: deiq; cultor est & virtutis amator. Ita &
 eidem conuenit interdum mors corporis necnon &
 animæ. vt ei qui diem claudit extremum: vitiorum
 sordibus inquinatus. Et ille quidem ad signan-
 dam duplicis vitæ rationem: in scriptura/ vita viue-
 re dicitur. hic vero ad geminum mortis indicandum
 vulnus: morte mori prærunq; in sacris literis refer-
 tur. vt apud Ezechielem. Vir si fuerit iustus / & Ezechie. 8.
 fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet / ait domi-
 nus deus. Et dominus ad Adam dicit. In quacun- Gene. 2.
 q; die comederis ex ligno scientiæ boni & mali:
 morte morieris. Id ipsum perhibet beatus Ambro-
 sius: in libro de paradiso capite nono dicens. Puto Ambrosius.
 secundum scripturas/ quia vita viuere: admirabilem
 illam quandam vitam / beatamq; significet & hunc

Doctrina

viuendi vsum spirandiq; munus: cū beatæ vitæ gra-
tia coniunctum / & quadam participatione permixtū
demonstrare videatur. hoc est enim vita viuere: virtu-
te viuere / & beatæ vitæ actus habere in istius corpo-
ris vita. Cōtra autem morte mori quid est aliud: nisi
si cum morte corporis deformitatem significare mori-
entis? cuius & caro cōmuni viuendi munere defrau-
detur: & anima vitę æternę vsum habere non possit.
hæc Ambrosius. At vero vita corporis & mors eius-
dem: in eodē neutiq; simul inueniri possunt / neq; etiā
vita animæ & mors animæ. Primum siquidem pu-
gnat cum secundo / & tertium cum quarto: ea sane di-
screpantia & dissidio / vt nunq; eidē cōuenire possint
eodem tempore. quemadmodū nequaq; simul idem
aer lumine oppletur & tenebris inhorrescit: neq; eadē
aqua feruorem caloris & algorē simul admittit vnq;.


Vita demum corporis: cum morte animæ coniuncta
plerūq; reperitur. vt in ijs qui spirandi exercēt vsum:
peccatorum tabe labefactati. Ita & mors corporis: cū
animæ vita interdum cōspirat & coincidit in eodem
homine. vt cum quis iustitiæ cultor & virtute orna-
tus / rebus humanis eripitur: & decedit ab hac luce.

Ambrosius

Porro has duas postremas cōnexiones: sacer Ambro-
sius i loco paulo ante citato / his verbis significat. Est
etiam: qui vita moritur. vt qui viuūt corpore: sed actu
mōritur suo. Quales illi sunt: de quibus ait prophe-
ta. Descendunt in infernum viuentes. Et illa: de qua
apostolus dicit / quoniam viuens mortua est. Quartū
superest: q; sunt qui etiā morte viuūt. vt martyres san-
cti. qui vtiq; moriuntur: vt viuant. Moritur caro: sed
viuūt gratia mortuorū. Ergo absit a nobis: vt partici-
pes mortis viuamus: sed cōtra participes vitę mori-
amur. Sanctus enim nec vitę huius se vult esse partici-

Psal. 54.
1. thimo. 5.

pem: qui ait. Cupio dissolui & esse cū Christo. *mut.* Philip. 1. 1. 2
 to em̄ meli⁹. Et alius. Heu me: q̄ incolatus meus p̄ Pfal. 119.
 longatus est. dolēs utiq; cū cōfortia vitę speret eter-
 ne: istius vitę fragilitate se cōtineri. hęc ille. ¶ Itaq;
 vt paucis ante dicta pstringamus: hęc q̄tuor cōbina-
 tionū collinimēta ex beati Ambrosij verbis iam cita-
 tis desūpta/in hoibus est inuenire. vita viuere/morte
 mori/morte viuere/vita mori. Duo vero reliq̄ q̄ extre-
 morū oīno inter se oppositorū cōnexiōe cōstituerent
 mēbra: vtpote viuere & mori simul secundū corpus/
 viuere itidē & mori pariter secundū aiām: haudquaq;
 coalescere cōpingiq; possunt/ ppter eorū q̄ nectūtur
 pugnantia & cōtrarietate. Sed & hęc omnia: sequēs
 descriptio oculari inspectione protinus indicat.



Doctrina

Perspicuum est utiq; / ex hac quatuor terminorū hic designatorum comparatione mutua: sex consurgere combinationes. Quarum quatuor / quæ a sinistro in dextrum directe / aut ex transuerso & secundū diametrum ducuntur: affirmatiuę sūt. duę vero reliquę / quę a superiore loco in inferiorem sibi subiectum sumuntur: negatiuę. Siquidem simul stant & eidem vna cōpetere possunt / datorum extremorum primū cum secūdo: & tertium cū quarto. primū etiam cū quarto: & secundum cum tertio. At pugnāt inter se omninoq; dissident: primum cū tertio / & secundū cum quarto.

¶ Verū omissis duob; primis extremis / q; minus nostro cōducāt instituto: reliqua duo conferamus adinuicē illorūq; discrimen & discerniculū disquiramus. Cōueniūt quidē inter se mors corporis / & animę interitus: q; vtraq; vitam sibi oppositam perimit / enecat / & corrūpit. Differūt autē. q; mors corporis / substantiā ipsius interimit: vertitq; in putredinē & puluerem. Animę vero mors nequaquā destruit ipsius naturam: sed bonā tātū habitudinē. Relinquit enim incolumē eius substantiā: q; sit immortalis & perpetuatiuum autē decorē eius & gratā speciē tollit: reddens eam informē / elāguidā / & vitali suo vigore destitutam. Rursum mors corporis / naturalis est: et lege quadam ineluctabili / naturę indicta. quare & nolētib; & inuitis: etiam accidit. Animę vero mors: spontanea. & voluntarie a nobis asciscitur: sponte nostra peccato manus victas dantibus. quēadmodum in libro Sapientię testatur Salomon his verbis. Iustitia perpetua est & immortalis. iniustitia autem: mortis acquisitio. Impij autē: manibus & verbis accersierunt illam. & estimantes illam amicam: defluerūt / & sponsiōes posuerunt ad illam, quoniā morte digni

Sapient. 1.

- 3 sunt: qui sunt ex parte illius. Hęc ob rem / mors corporis vituperiũ & dedecus nulli infert. sicut nec laudē per se cuiq̃ adijcit. Animę vero mors vitio datur / & vituperio dignum reddit hominē : quoniā in eius
- 4 potestate cōstitutũ est / eā deuitare. Insuper mors corporis / in omnes proserpit homines : neq̃ vllũ sua lege irrecusabili eximit. Quis enim est homo / qui vi- Psal. 88.
uet : & non videbit mortem? Animę vero mors non ita omnibus est communis : cum nōnullos inuenias peccati prorsus immunes / & nulla eius contagione pollutos. vt domin⁹ noster Ihesus Christus / et beata virgo Maria / eius sanctissima mater : diuino indultu
- 5 ab omni peccati colluuione libera & aliena. Pręterea / a morte corporis nō fit regressio ad vitā hanc sensibilem : secundũ naturę iura ac vsũ. etsi diuina virtute in plerisq̃ dirupta sint vincula mortis : & vita mortalis reddita. Ab animę vero morte / fit diuinę misericordię beneficio ad vitam spiritualeĩ reditus : cum propulsatis vitijs / virtutum decor pristinus et ornatus / animę restituitur. Et huiusmodi respiscentia : sæpius durante huius vitę curriculo potest repeti ac
- 6 iterari. Demum a morte animę iam corpore solutę : nunq̃ ad vitam eius est recursus. cōsequitur enim eam mors gehennę : quę est mors secunda atq̃ intermina. A morte vero corporis iam extincti & soluti in cineres : ad vitam etiam corporis sed immortalē & perpetuam erit regressus in consummatione seculi . cum supernę vocis virtute & clangente bucina suscitabũtur qui dormiunt in sepulchris : & rursum circũdabuntur (vt ait Iob) quisq̃ pelle sua. Po- Iob. 19.
stremum mors animę / corporis mortem primum inuexit : in primorum parentum nostrorum transgressione / teste beato Paulo apostolo ad Romanos.

Doctrina

Roma . 5. Per vnum hominem (inquit) in hunc mūdum intravit peccatum : & per peccatū mors. At non ita mors corporis induxit vnq̄ : neq̄ per se inducet animę mortem. Si enim post transitum ex hoc mūdo anima sit eterneq̄ morti addicta : hic interitus nō ex morte corporis proficiscitur / sed ex sceleribus & flagitijs ante mortem corporis perpetratis.

☞ Mortem corporis non esse nobis formidandam : sed expetendam potius / ob multa eius commoda. Cap. II.



St & alia inter vtranq̄ mortem propositam differentia : q̄ animę mors / malum est / ob annexā culpam letiferam / inferentem illi exitium & corruptelā. Mors vero corporis : haudquaq̄ malū est culpeq̄ labes . etsi pœnæ malum

Gene. 3.

esse recte dicatur : ob primorum parentum præuarcationem nobis iuste inflictum. Proinde non est hæc iure formidanda / aut extimescenda viro prudenti : sed constanti et expectanda & perferēda animo / nulla gelidæ mortis formidine attonito. quod sequētibus rationibus comprobare annitemur. ☞ Primum quidem. quod ipsa nobis affert naturę conditio : nequaq̄ est metuendum / cum sit natiuū illud & aggenitum. At naturæ nostræ fors & ratio : mortalitatem nobis ingerit & corruptibilitatem. Ea siquidem lege nascimur in hoc mundo : vt inde tādē emigremus.

Anaxagoras.

☞ Quod scite expressit Anaxagoras philosophus : qui (vt auctor est Valerius) audita morte filij sui / nichil (inquit) inexpectatum aut nouū michi nuncias. ego enim illum ex me natum : sciebam esse mortale. Ita (inquit) quisq̄ meminisse debet : a rerum natura &

accipiendi spiritus & reddendi / eodem momento tē-
 poris legem dici . atq; vt mori neminē solere qui nō
 vixerit . ita nec viuere aliquem quidem posse / qui non
 sit moriturus . Hāc certe naturę legem / beatus Cypria-
 nus contra Demetrianum eleganter & præclare de-
 scribit : hoc modo . Minuatur necesse est : quicquid fit Cyprianus .
 ne iam proximo in occidua & in extrema deuergit .
 Sic sol in occasu suo : radios minus claro & igneo splē-
 dore iaculatur . Sic declināte iam cursu : exolutis cor-
 nibus luna tenuatur . Et arbor quę fuerat ante viridis
 & fertilis : arefcentibus ramis fit postmodum sterili
 senectute deformis . Et fons qui exundantibus prius
 venis largiter profiuebat : senectute deficiēs vix mo-
 dico sudore distillat . Hęc sentētia : mundo data est .
 Hęc dei lex est : vt omnia orta occidant / & aucta se-
 nescant . vt infirmentur fortia : & magna minuantur .
 vt cum infirmata & diminuta fuerint : finiantur . hęc
 2 . Cyprianus . ¶ Rursum . Nulli timorem id iure debet
 incutere : quod ipsam naturę legem & præscriptum
 sequitur ordinem / quoniam illud a deo constitutum
 est & decretum . Inter ipsas autem naturę leges ac san-
 ctiones / hęc vna est : vnūquodq; in ea resolui ex qui-
 bus est formatum ac genitū . Enimvero nubes in ae-
 re pendulę soluuntur in guttas roridas & pluuias :
 quoniam ex aquis sunt productę sublatis ex humore
 aqueo vaporibus sursumq; ductis : qui frigore concre-
 ti densantur in nubes . Et niuem atq; glaciē lique-
 re in aquā omnibus est perspectū : q; ex aquis ambo
 progignuntur & concrefcunt . Et omnia quę de terra
 sunt (inquit Ecclesiasticus) in terram cōuertentur : & Ecclef. 4.0.
 aquę omnes in mare conuertentur . Atqui homo ex et. 4.1.
 limo terrę compactus est : si corpus attendas . & ergo
 in puluerem dissoluendus : secundum illam dei sen-
 b j

Doctrina

Genesis. 3. tentiam/in Adam & totam eius posteritatē / latam.
 Vt reuertaris in terrā de qua sumptus es : quoniam
 puluis es & in puluerem reuerteris. Hanc igitur abi-
 tionem in puluerem per mortis exterminium/dei &
 naturę legibus consentaneam: quis iure exhorruerit?
CPreterea. quod omnibus eiusdem generis commu-
 ne est/nulloq; ingenio potest euitari : nemini debet
 ingerere formidinem. Sapientis enim non est/id ti-
 mere & deprecari : quod nulla via ac ratione potest
 euadere. Nam (teste Cicerone in secunda quæstione
Cicero. Tusculana) qui id quod vitari non potest metuit:
 is viuere animo quieto/nullo modo potest. Sed qui
 non modo quia necesse est mori / verum etiam quia
 nichil habet mors quod sit horrendum/mortem non
 timet:magnum is sibi præsidium ad beatam vitam
 comparat. hæc Cicero. Mortis autem subeundæ lex/
 omnibus hominibus est eadem:neq; ab ea quispiam
 excipitur. Omnes enim morimur/& quasi aquę dila-
2. Reg. 14.
Hebrę 9.
Sapient. 6.
 bimur in terram:quę non reuertuntur. Et statutum
 est hominibus semel mori:vt inquit Paulus. Deni-
 q; vnus est introitus omnibus ad vitā:& similis exi-
 tus.vt ait Sapiēs. Ecce ipse dei filius dominus & rex
 noster mortem subiit temporalē:cui tamen non erat
 obnoxius.& nos tam molles & delicati sumus mili-
 tes:q; detrectamus dominum ea via sequi/per quam
 vniuersę carni est progrediundum. Mortis item iter
 ingredi non recusauit totius mūdi domina:reginaq;
 cœli / sacratissima virgo Maria. & nos serui inuti-
 les/eam comitari/eiusq; vestigia subsequi refugimus:
 quinimmo ipsum mortis nomen pallidi exhorresci-
 mus. Quid putas o homo/maledicti protoplastorū
 hæres/peccatiq; soboles/mortis euadere spicula:cum
 videas & Christum benedictum in secula / & sacro-

sanctam eius matrem immunes a peccato & maledicto Adę/eam pertulisse? Neq; regia scepra quempiam aut arma bellica / non gazę Persicę / non opes Attalicę / nec robur gigāteum : reddent a mortis lege exemptum. Nam vt præclare canit Boëtius .

Mors spernit altam gloriam /

Boëtius.

Inuoluit humile pariter & celsum caput :

Aequatq; summis infima.

Cui accedit & Horatius : dicens.

Pallida mors equo pulsat pede pauperum tabernas : Horatius.

Regumq; turres.

Consonat illis : hoc memorabile distichon.

Mors dominos seruis / & scepra ligonibus æquat :

Diffimiles simili conditione trahens.

Et maximum solatium est (inquit Seneca) cogita- Seneca

re id sibi accidisse : quod ante se passi sunt omnes /

& post se omnes passuri. Et ideo videtur rerum natura quod grauissimum fecit / commune fecisse : vt

crudelitatem fati consolaretur æqualitas. Idem quoq;

in epistolis. Quis (inquit) queri potest in ea conditione se esse : in qua nemo non est? Non igitur a

viro prudente metuenda est mors : sed quam ratione perferri debeat & subiri / mature prospiciendum. vt cum venerit illius hora : interriti / illi occurra

4 mus. ¶ Ad hæc. quod grauibus ærumnis & calamitatibus nos eripit : non modo expauescendum non

est / sed & votis ardentibus exquirendum. In huius autem vitę incolatu / quot miseris & duris casibus

subiecta est nostra conditio : vix quisq; verbis con-

sequi queat. quandoquidem vbiq; luctus / vbiq; do-

lor / & plurima mortis imago / vt ait Virgilius. Et

Ecclesiasticus graues amaritudines quibus vita nostra

respergitur enumerās : iquit. Occupatio magna crea-

Virgilius.

Ecclesi. 4.0.

Occupatio magna crea-

Occupatio magna crea-

Occupatio magna crea-

Occupatio magna crea-

Doctrina

ta est omnibus hominibus/ & graue iugū super filios
 Adam: a die exitus de ventre matris eorum/ vsq; in
 diem sepulturæ in matrē omniū. Cogitationes eorū
 & timores cordis/ adinuētionēs expectationis/ & dies
 finitionis: a præfidente super sedem gloriosam / vsq;
 ad humiliatum in terra & cinerem. ab eo qui vtitur
 hyacintho & portat coronā: vsq; ad eum qui coope-
 ritur lino crudo. Furor/zelus/tumultus/ fluctuatio &
 timor mortis/ iracūdia perseuerans & contentio/ & in
 tempore refectiōis in cubili/ somnus noctis immutat
 sciētiam eius. Et paulo post idem ait. Ad hæc/ mors/
 sanguis contentio & romphea: oppressiōes & fames/
 contritio & flagella. Consonat illi Ecclesiastes: par-
 ticulam vnā humanæ miseræ his verbis cōplectēs.

Eccēs. 4. Verti me ad alia: & vidi calūnias quæ sub sole gerū-
 tur/ & lachrymas innocentium & neminē consolato-
 rem. nec posse resistere eorum violentiæ: cunctorum
 auxilio destitutos. Et laudauī magis mortuos q̄ vi-
 uentes: & foeliciorem vtroq; iudicāui qui necdum na-
 tus est/ nec vidit mala quæ sub sole fiūt. Et alio loco/
 idem consideratione malorum & incommodorum

Eccēs. 7. huius vitæ attonitus: ait. Melior est dies mortis die
 natiuitatis: & melius est ire ad domum luctus q̄ ad
 domum conuiuij. In illa enim/ finis cunctorū ammo-
 netur hominum: & viuens cogitat quid futurum sit.

At qui mors ipsa finem imponit diris casibus/ aduer-
 sisq; rebus: quibus hæc vita premitur. quemadmodū
Isidorus. dicit Isidorus. Mors (inquit) calamitatis terminum
 præbet. omnē calamitatē mors adimit. Et Salustius

Salustius. in bello Catilinario. In luctu atq; miserijs/ mortem
 grūnarum requiem: non cruciatum esse duco. Potius
 igitur expetenda mors est / tantorum finis & meta
 malorum: q̄ trepido animo metuenda. ¶ Insuper/ 5

quis timendum id iure censeat : quod animam nostram varijs eruit periculis tentationum/quod eam eximit mille perditionis discriminibus / in quibus versantur homines quod diu vitam agunt? Tantum autem munus & beneficium præstat homini mors : & insultibus hostium in animæ perniciem statuens terminum/& prolapsui in peccatum. Sane quantalibet sanctitate polleat homo / vitam hanc degens:nunquam securus est & tutus quod amplius in vitium non proruet / quod culmine perfectionis (quod assiduo virtutis vsu conscendit) non excidet/nisi in ipso mortis articulo: quæ sola hanc præstat securitatem & certitudinem. Ut non omnino absurda censeatur illa Solonis sententia: a Nasone eleganter decantata.

Solon.

Sed scilicet vltima semper

Ouidius.

Expectanda dies homini est: dicitur beatus
Ante obitum nemo/supremaque funera debet.

Idcirco vetuit Ecclesiasticus ante mortem quempiam hominem laudari: quod incertus sit eius exitus/ bonusne an miser futurus. Peracto vero totius vitæ cursu/& foeliciter expleto: iam consummata & solida est eius laudatio/iam verum præconiū / quod bene beatæque vitæ cōfecerit. Tūc enim integra nauis & incolu mis: in portū est subducta. ¶ Rursus/quis fauos affectuum nostrorum turbines & impetus / quibus quotidie quatimur: satis enumerauerit? quis voluptatū blanditias & cætera malorum irritamenta quibus inescamur: omnino deprompserit? ut non immerito a beato Iob dictum existimari debeat: quod militia est vita hominis super terram. His autem vniuersis laqueis/retribus & tēdiculis/mors ipsa finem constituit: clauditque duros nostri in hac palæstra & harena cōfictus sudores. Porro miles acer armis & manu prom-

Iob. 7.

Doctrina

ptus: magnopere exoptat consummatam victoriam/
& celebres ex hoste triumphos. gaudetq; impensius/
cum adesse cognoscit diem & horam: qua finiantur
duri certamina Martis / & pax tranquilla quietem
optatam tribuat. Cur igitur nos ipsi horam illā mor-
tis deprecamur/exhorremus & refugimus: qua belli
cum hostibus animæ conquiescat furor / & nobis am-
plius non adblandiatur mundus & caro: nec suis il-
lecebris ad mala nos pelliciat ac titillet? ¶ Adde q; 7
grata est nauigantibus post sæuas tempestates in por-
tum nauis subductio: iucunda peregrinantibus post
iter emensum in patrios lares regressio. exilio dam-
natis optatissimus est in natale solum longo postli-
minio reditus: & mercenarijs post exanclatos labo-
res expectatissima quies/mercedisq; perceptio. Mors
autem ab huius vitæ mari procelloso: nos in tran-
quillam alterius vitæ stationem traducit. sicut Cato
apud Ciceronem in libro de senectute dicit. Michi
quidem tam iucunda senectus est/vt quo propius ad
mortem accedam: quasi terrā videar videre/aliquan-
doq; in portū ex longa nauigatione esse vēturus. Eas-
dem post longam peregrinationem: nos in propriā
reducit domum. Non enim habemus hic manentem
ciuitatem: sed futuram inquirimus / vt ad Hebræos
scribit Paulus. Et apud Ciceronem in libro de sene-
ctute inquit Cato. Et ex vita ista discedo tanq̄ ex ho-
spitio: non tanq̄ ex domo. Commorandi enim na-
tura diuerforium nobis: non habitandi dedit. Mor-
tis item beneficio reuocamur ab exilio in patriam:
& expleto labore diuturno. vocamur ad præmium.
Apoca. 14. A modo enim iam dicit spiritus: vt requiescant a la-
boribus suis. Opera enim illorum: sequuntur illos.
Est igitur in bonorum numero reponenda mors:

Cicero.

Hebrę. 13.

Cicero.

Apoca. 14.

3 quæ tantis bonis nos cumulat atq; locupletat. ¶ De
 niq; mira sanctitate conspicui viri virtuteq; clarissi-
 mi: mortem exoptasse / vt transitum ad melioris vitæ
 sortem / dinoscuntur. vt deiloquus Paulus scribens
 ad Philippenses. Michi viuere Christus est: & mori Philip. 1.
 lucrum. Et rursus ibidem. Desiderium habens dis-
 solui: & esse cum Christo. multo magis melius. Pro-
 pheta etiam in psalmo / huius vitæ diutinam moram
 perosus: ait. Heu me: quia incolatus meus prolongatus est. Et iterum. Sicut ceruus desiderat ad fon- Psal. 119.
 tes aquarum: ita desiderat anima mea ad te deus. Psal. 41.
 Sitiuit anima mea ad deum fontem viuum: quando
 veniam & apparebo ante faciē dei? Sāctitate quoq;
 celebres ac insignes viri: diem natiuitatis suæ secun-
 dum carnem / vt introitum ad huius mundi mise-
 rias / maledictis incessere visi sunt: & tanq̄ infaustum
 execrari. vt sanctus Iob: cum ait. Pereat dies / in qua Iob. 3.
 natus sum: & nox in qua dictum est / conceptus est
 homo. Dies illa vertatur in tenebras. Necnō & Hie-
 remias / dicens. Maledicta dies / in qua natus sum: Hiere. 20.
 dies in qua peperit me mater mea / non sit benedicta.
 Est igitur mors in bonis ducenda: minimeq; for-
 midanda.

¶ Testimonio Beati Cypriani: mortem
 malum non esse / neq; a viro prudente,
 formidari debere. Cap. III.



Redibilis autem fiet quod modo
 propositū est: si probatorū quoq;
 authorum suffulciatur testimonio /
 & in primis Beati Cypriani: do-
 ctrinæ sacrae splendore ac marty- Cyprianus.
 rij titulo clarissimi. qui in sermone
 suo de mortalitate (quo grauitate &
 b iiii.

Doctrina

præclare exhortatur fideles ad desiderium relinquē-
di hanc vitam transitoriam: amore cœlestis & æter-
næ vitæ) multifariam comprobat/ mortem inter mas-
la non esse numerandam: sed in bonorum consortio
reponi debere. Cuius aliquot rationes paucis hic cō-
stringentur: & illis verba ipsius continuo subnecten-
tur/rationes ipsas complectētia. ¶ Primum quidem.
Transitus ex hoc mundo: appropinquatio est ad re-
gnum cœlorum/immo in ipsum ingressus ac introi-
tus. Quoniam igitur per mortem ad Christum voca-
mur/accersimurq; ab ipso ad cœlestis præmij perce-
ptionem: nequaquã aut trepidare debemus/ aut mortē
tanquã malum auersari. Cyprianus. Regnū dei fratres
dilectissimi: esse cœpit in proximo. præmiū vitæ &
gaudium salutis æternæ/& perpetua lætitia/& posses-
sio paradisi nuper amissa: mundo transeunte iam ve-
niūt. iam terrenis cœlestia/& magna paruis: & cadu-
cis æterna succedunt. Quis hic anxietatis & sollicitu-
dinis loc⁹ est? quis inter hæc trepidus & mœstus est:
nisi cui spes & fides deest? Eius est enim mortem ti-
mere: qui ad Christum nolit ire. Eius est ad Chri-
stum nolle ire: qui se non credit cum Christo incipe-
re regnare. Scriptum est enim: iustum fide viuere. Si
Abacuc. 2. iustus es: & fide viuis/si vere in deū credis: cur nō cū
Christo futurus & de domini pollicitatione securus/
q; ad Christū voceris aplecteris: & q; zabulo careas
gratularis? ¶ Vera pax & placida quies (quam haud 2
dubie cupiunt omnes) tunc primum habetur: quādo
decurso vitæ præsentis & mortalis spacio/ad immor-
talis vitæ transitur consortium ac cōmunionē. Mors
igitur/quæ hunc præstat trāsitum: neq; malum puta-
ri debet/ neq; trepido animo formidari. Cyprianus.
Cyprianus. Symeon deniq; ille iustus/ qui vere iustus fuit/qui fi-

de plena dei præcepta seruauit: cū ei diuinitus respōsum fuisset/ q̄ non ante moreretur q̄ Christum vidisset/ & Christus infans in templum cum matre uenisset: agnouit in spiritu natum esse iam Christum / de quo sibi fuerat ante prædictum. quo viso : sciuit cito se esse moriturum. Lætus itaq̄ de morte iam proxima/ & de vicina accensione securus: accepit in manibus puerum/ & benedicēs deum exclamauit & dixit.

Nunc dimittis seruum tuum domine: secūdum uerbum tuum in pace. quoniam uiderunt oculi mei: salutare tuum. probans scilicet & contestans/ tunc esse seruis dei pacem/ tunc liberam & tranquillam quietem: quando de istis mundi turbinibus extracti/ sedis & securitatis æternæ portum petimus. quādo expūta hac morte: ad immortalitatem uenimus. Illa est enim nostra pax/ illa fida tranquillitas: illa stabilis et

3

firma & perpetua securitas. ¶ In hac uita perpetuū bellum uitij a nobis est indicēdum: quæ nos denso agmine multipliciter & assidue oppugnant. Neq̄ ab hoc certamine vlla nobis datur respiratio aut quies nisi per mortem: quæ sola dissoluit tam grauem conflictationem/ præliūq̄ nostrum cū peccatorum monstris dirimit. Est igitur mors/ homini benefica: atq̄ merito exoptāda. Cyprianus. Cæterum quid aliud Cyprianus. in mundo: q̄ pugna aduersus diabolū/ quotidie geritur? q̄ aduersus iacula & tela: conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis/ tum impudicitia/ cum ira/ cum ambitione: congressio est. cum carnalibus uitij/ cū illecebris secularibus: assidua & iugis & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis/ & vndiq̄ zabuli infestatione vallata : vix occurrit singulis/ vix resistit. Si auaritia prostrata est: exurgit libido. Si libido compressa est : succedit ambitio. Si

Doctrina

ambitio cōtemp̄ta est: ira exasperat/ inflat superbia/
 vinolentia inuitat/inuidia concordiam rumpit/amiz-
 citiam zelus abscindit. Cogeris maledicere: quod lex
 diuina prohibet. compelleris iurare: quod non li-
 cet. Tot persecutiones animus quotidie patitur / tot
 periculis pectus vrgetur: & delectat hic inter zabuli
 gladios diu stare. cum magis concupiscendum sit &
 optandum: ad Christum subueniente velocius mor-
 te properare. ¶ Mundus iste/miseriarum plenus est 4
 & calamitatū/lachrymarū & fletus materiā quotidie
 fere nobis obijciēs. Mortis autē interuentu & benefi-
 cio/dolori succedit gaudium: & mœrori lētitiā/nul-
 lo vnq̄ sine interitura. Est igitur expetenda potius
 mors q̄ metuenda: quæ nos in perpetuam trāfferat
 Cyprianus. lētitiā. Cyprianus. Q̄ optādum sit/ad Christum/
 subueniēte velocius morte / properare: ipse nos Chri-
 stus instruit & dicit. Amen/amen dico vobis/quoniā
 Ioannis. 16. vos plorabitis & plangetis: seculum autē gaudebit.
 vos tristes eritis: sed tristitia vestra in lētitiā veniet.
 Quis non ad lētitiā venire festinet? Quis non tri-
 stitia carere optet? Quando autem in lētitiā veniat
 nostra tristitia: dominus denuo ipse declarat dicens.
 Ioan. 16. Iterum videbo vos/ & gaudebit cor vestrum: & gau-
 dium vestrum nemo tollet a vobis. Cum ergo vide-
 re Christum/ gaudere sit: nec possit esse gaudiū no-
 strum/ nisi cum viderimus Christū: quæ cæcitas ani-
 mi/ quæ demētia est/ amare pressuras & pœnas &
 lachrymas mūdi/ & non festinare potius ad gaudiū/
 quod nunq̄ possit auferri? Hoc autem fit fratres dīle-
 lectissimi: quia fides deest / quia nemo credit vera
 esse quæ pmittit deus qui verax est: cui⁹ sermo credē
 tibus æternus & firmus est. Si tibi vir grauis & lauda-
 bilis aliquid polliceretur: haberes vtique pollicenti

fidem. nec te falli ac decipi ab eo crederes: quem stare in sermonibus / atq; in actibus suis scires. Nunc deus tecum loquitur: & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur atq; eternitatem: & tu dubitas? Hoc est: deū omnino nō nosse. Hoc est / Christū credentium magistrum: peccato incredulitatis offendere. Hoc est / in ecclesia cōstitutum: fidem in domo fidei non habere. ¶ Quod omnibus eiusdem generis commune est: non debet cuiq; illius cōtus molestum aut acerbum videri. Mortis igitur perpeffio / a qua nemo mortalium excipitur: nulli grauis aut onerosa censenda est. q̄ vniuersos ambiat atq; complectatur homines: ipsa mortalitatis fors atq; cōditio. Quare iniusta cēseri debet illa Christianorū expositulatio: qua cōquererētur sibi mortē cū infidelibus esse cōmunē / neq; se meliore esse sorte & loco q̄ serui dei sint: q̄ illi. nā mortalitas / nō religiois: sed vniuersitatis hominū est cōditio. Cyprianus. Mouet quosdā: q̄ sit nobis cū ceteris mortalitas ista cōmunis. Quid enim nobis in hoc mūdo non cōmune cū ceteris: q̄ diu ad huc secū dū legē primę natiuitatis manet caro ista cōmunis? Quoad usq; istic in mūdo sumus: cū genere humano carnis equalitate cōiūgimur / spiritu separamur. Itaq; donec corruptium istud induat incorruptionē / & mortale hoc accipiat immortalitatem / & spiritus nos perducatur ad deum patrem: quæcunq; sunt carnis incommoda / sunt nobis cum humano genere communia. Sic cum flatu sterili terra ieiuna est: neminē fames separat. Sic cum incursione hostili ciuitas aliqua possessa est: omnes simul captiuitas vastat. Et quādo imbres nubila serena lōga suspēdūt: oibus siccitas vna est. Et cū nauē scopulosa saxa con-

Cyprianus.

1. Corin. 15

Doctrina

fringunt: nauigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor & impetus febriū / & omnium valitudo membrorum: cum ceteris / communis est nobis / quādiu portatur in seculo caro ista cōmunis. ¶ Metuēda quidem illis est mors: qui hic prauam duxerunt vitam / & post mortem corporis rapiuntur ad æternum interitum. Illis vero qui fidem Christi integrē sunt professi / opereq; eandem comprobauerunt / minime formidanda est: quā via sit ipsis ad vitam perpetuā & interminabilem. Cyprianus. Mori plane timeat: sed qui ex aqua & spiritu nō renatus / gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat: qui nō Christi cruce & passiōe cēsetur. Mori timeat: qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat: quem de seculo recedentem perennis pœnis æterna flamma torquebit. Mori timeat: cui hoc mora longiore confertur / vt cruciatus eius & gemitus interim differatur. Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur: hoc est / multi ex nostris de seculo liberantur. Mortalitas ista: vt Iudeis & gentibus / & Christi hostibus / pestis est: ita dei seruis / salutaris excessus est. Hoc quod sine vllō discrimine generis humani / cum iniustis & iusti moriuntur: non est quod putetis / bonis & malis interitum esse communem. ad refrigeriū iusti vocātur: ad supplicium rapiuntur iniusti. datur velocius tutela fidentibus: perfidis pœna. ¶ Per mortis compendium & celerem e vita excessum / multi euadunt graua pericula cum corporis tum animæ: in quæ inciderent / si diuturnior ipsis vita superesset. Nempe longior ætas: graues erumnas multis affert. Est igitur magni beneficij loco habenda mors / & maiore in modum cōmendāda: quod adeo vtilis sit nobis & fructuosa / adeo munifica / tātorūque

largitrix bonorum. Cyprianus. Improuidi & ingrati sumus / fratres dilectissimi / ad diuina beneficia: nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace / tutæ cum gloria sua virgines: uenientis antichristi minas & corruptelas & lupanaria non timentes. Pueri periculum lubricæ ætatis euadunt: ad continentiæ atq; innocentæ præmium fœliciter perueniunt. Tormenta iam non timet delicata matrona: metum persecutionis & manus cruciatuq; carnificis / moriendi celeritate lucrata. Pauore mortalitatis & temporis acceduntur trepidi / cōstringuntur remissi / excitantur ignaui. Desertores compelluntur ut redeant: gentiles coguntur ut credant. Vetus fideiū populus: ad quietem vocatur. ad aciem recēs & copiosus exercitus: robore fortiore colligitur. pugnaturus sine metu mortis cum prælium venerit: qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. ¶ Mors ipsa corporis: transitus quidam est ad vitam sempiternam. quæ huic temporariæ vitæ non potest succedere: nisi prius interueniente morte soluatur anima a corpore. Ergo mors cum sit via compediaria & necessaria ad immortalitatē: non est repudianda / sed libenter amplectenda. Cyprianus. Quæ interim morimur: ad immortalitatē morte trāsgredimur. nec potest vita æterna succedere: nisi hinc contigerit exire. Non est exitus / sed transitus: & tēporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem: & ad cœlestis gratiæ dignitatē venire citius exoptet? Paulo Apostolo prædicante. Nostra autem conuersatio Philip. 3. (inquit) in cœlis est. vnde & dominum expectamus / Ihesum Christum: qui transformabit corpus humilitatis nostræ / configuratum corpori claritatis suæ.

Doctrina

9

- ¶** Lubet, Christus mundum a nobis sperni & contēni debere: quoniam nos (si dei sumus) odio prosequitur. Si igitur inuiti & reluctātes hinc per mortem decedimus: id certe indicio est nos mundi illecebris & oblectamentis teneri / quare & a deo procul elongatos esse: quoniam non possumus simul deo seruire et mundo. Cyprianus. Eius est in mundo diu velle manere: quem mūdus oblectat / quem seculum blandiēs atq; decipiens / illecebris terrenæ voluptatis inuitat.
- Matthēi. 6.** Porro cum mundus oderit Christianum: quid amas eum qui te odit / & non magis sequeris Christum qui te redemit & diligit? Ioannes in epistola sua clamat & loquitur: & ne carnalia desideria sectantes mundum diligam⁹ / hortatur. Nolite (inquit) diligere mūdum: neq; ea quæ in mundo sunt. Siquis dilexerit mundum: non est charitas patris in illo. quia omne quod in mundo est: concupiscentia carnis est / & cōcupiscentia oculorum / & ambitio mundi: quæ non est a patre / sed ex concupiscentia mundi. & mundus transibit: & concupiscētia eius. qui autem fecerit voluntatem dei: manet in æternum. **¶** Vnusquisq; hominū vere id deo dicere possit: quod dicit propheta in psalmo. Aduena ego sum apud te & peregrinus: sicut omnes patres mei. Atqui peregrin⁹ summopere exoptat / confecto suo itinere / in propriam regredi domum: a qua diutius absuit. Debemus igitur & nos per mortis trāsitum ad cœlestē patriam aspirare: & nō exhorrescere mortē quæ nos reduces in ipsa collocet. Cyprian⁹. Amplectamur diē: qui assignat singulos domicilio suo. qui nos istinc ereptos & laqueis secularibus exutos: paradiso restituit / & regno cœlesti. Quis non peregre constitutus: properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans: ven-
- Ioannis. 15**
- 1. Ioan. 2.**
- Psal. 38.**
- Cyprianus.**

tum prosperum cupidius optaret/vt velociter charos
 liceret amplecti? Patriam nostrā: paradifum cōputa-
 mus. Parentes nostros: patriarchas habere iam cœpi-
 mus. Quid nō properamus & currimus: vt patriam
 nostrā videre/vt parētes salutare possimus? Magnus
 illic nos charorum numerus: expectat. parentū/ fra-
 trum filiorum frequens nos & copiosa turba deside-
 rat: iam de sua incolumitate secura/adhuc de nostra
 incolumitate sollicita Ad horum cōspectum & com-
 plexum venire: quanta & illis & nobis in commune
 lētitia est? Qualis illic cœlestium regnorū voluptas
 sine timore moriendi: et cū ęternitate viuēdi? q̄ sum-
 ma & perpetua fœlicitas? Hęc Cyprianus. Ex cuius
 sermone iā ante nominato/cōplures alię colligi pos-
 sunt rationes: mortē nō esse timēdā cōprobātes. Sed
 fatius est / lectores fontē ipsū accedāt: & pleno illius
 haustu se proluāt. longe suauiorē aquam in eius fœ-
 cūdo fluento: q̄ in deductis inde riuis libaturi.

¶ Authoritate etiā beati Ambrosij/mortē nō esse
 malū ostēdi: sed in bonorū nūero habēdā esse. IIII



Ccedat superiori testimonio &
 alius testis: eiusdēq; rei probatissi-
 mus assertor/beatus pater Ambro-
 sius. qui in libro suo de bono
 mortis inscripto: plurifariā contē-
 dit / mortem ipsam corporis bo-
 num esse. tantū abest: vt eam ad-
 mittat aut esse malū/aut timeri debere. Ex cuius sen-
 tētia: ratiōes aliquot breuib⁹ ac paucis cōstringem⁹.
 deinde eius verba ex dicto deprompta libro/rationes
 illas insinuantia: subijciemus/eodē prorsus ordine:
 quo in p̄cedēte capite vsi sum⁹. ¶ Primo. multis ama-
 ritudinib⁹ et dolorib⁹ referta est hęc vita: quę morte

Doctrina

finiuntur & accipiunt terminum. Mors ergo bonum.
 Ambrosius. Ambrosius. Mors ipsa cum absoluat omnes: paucos
 delectat. Sed non hoc mortis est vitium / sed nostrae
 infirmitatis: qui voluptate corporis & delectatione
 vitae huius capimur / & cursum hunc consummare tre-
 pidamus: in quo plus amaritudinis quam voluptatis est.
 An non sancti & sapientes viri: qui longevitatem pe-
 regrinationis huius ingemiscebant / dissolui & cum
 Christo esse: pulchrius estimantes? Denique diem ge-
 nerationis suae execrabantur: sicut ille qui ait. Pereat
 dies illa: in qua natus sum. Quid enim est quod haec
 vita delectat: plena gurgularum & solitudinum: in
 qua innumeræ calumniæ & multæ molestiæ & multæ
 lachrymæ eorum qui molestiis afflicti sunt: & non est
 (inquit) qui eos consoletur. Et ideo laudat Ecclesia-
 stes defunctos magis quam viuentes. Et optimus (inquit)
 supra hos: qui nondum natus est / qui non vidit hoc
 malum. ¶ Immoderatis plura quam par sit habendi cu-
 piditatibus repleta est praesens vita: quibus tanquam gra-
 ui onere premitur. Eo autem fasce: mors ipsa nos exo-
 nerat & leuat. Est igitur ipsa: bonorum numero ascri-
 benda. Ambrosius. Quid enim boni est homini in
 hac vita: qui in umbra vivit / nec expleri potest cupi-
 ditatibus suis? Et si repleatur divitiis: fructum quie-
 tis amittit. quia cogitur custodire: quod misera au-
 ditate quaesierit. ut miserius eas possideat: cui prodesse
 non poterunt. Quid enim miserius / quam ut custodia tor-
 queat: quarum abundantia nichil prodest? Itaque si ple-
 na oneris vita: utique finis eius / alleuamentum. Alle-
 uamentum autem bonum: mors autem / finis. mors
 igitur bonum est. ¶ Anima rationalis vinculo cor-
 poris quasi captiva tenetur: suspirans ad assequendam
 libertatem / per solutionem a carcere. Haec autem vin-

cula dirumpit mors : & compedibus carnis animam exuit. Igitur ipsa: bonum censeri debet. Ambrosius.

Symeon . iustus postq̄ suscepit puerum Ihesum mani
bus suis: dixit . Nunc dimittis seruum tuū domine: Ambrosius.
Lucæ. 2.

secundū verbum tuū in pace: quasi necessitate qua-
dam teneretur in hac vita: nō volūtate. Itaq̄ dimit-

ti petit: quasi a vinculis quibusdam ad libertatem fe-

stinaret . Sunt enim velut vincula quædam corporis

huius: & quod est grauius/ vincula tentationum quę

nos alligāt: & ad iniuriam captiuitatis astringūt qua-

dam lege peccati. Deniq̄ in exitu ipso videmus: quē

admodum anima decedentis paulatim soluat se vin-

4 ris huius exuta gurgustio. ¶ Præsens vita quasi pere-

grinatio quędā est : quam finit ipsa mors/ perducens

ad optatam patriam. Est igitur bonis annumeranda

mors. Ambrosius. Deniq̄ festinabat etiā sanctus Da-

uid de hoc loco peregrinationis exire dicens. Adu-

na ego sum apud te in terra / & peregrinus: sicut om-

nes patres mei. Et ideo tanq̄ peregrinus/ ad illam san-

ctorum comunē omniū patriam festinabat: petens

pro huius cōmoratiōis inquinamēto remitti sibi pec-

cata/ priusq̄ discederet de vita. Qui enim hic non ac-

ceperit remissionē peccatorū: illic non erit. Ideoq̄ di-

5 cit. Remitte michi vt refrigerer: priusq̄ abeā! & am-

plius nō ero. ¶ Quo diuturnior nobis in hac vita est

mora: eo maior peccatorū accumulatio & congeries

aggrauat corda nostra. Mors igitur impediens peccā-

catis adijci peccata/ et hūc funē noxium abrumpens:

bonum est. Ambrosius. Quid tātoperē vitam istam

desideramus: in qua quanto quis diutius fuerit / tan-

to maiore oneratur sarcina peccatorum? Ipse domi-

nus ait . Sufficit diei malicia sua . Et Iacob dixit: Math. 6.

Doctrina

Gene. 47. Dies annorū vitæ meę quos habeo: cętū triginta / mis-
 2 nimi & mali. Non quia dies mali: sed quia nobis ac-
 cessu dierū / malitię incrementa cumulantur. Nullus
 enim dies: sine nostro peccato præterit. ¶ Cum rex 6

99 iubet e statione discedere militem / & alium in locū
 commigrare: parēdum illi est / & obedientia meritū
 habet. Mors igitur quę iubente domino / emigratio
 quędam est: de malorū numero censenda nō est / sed

Ambrosius. hilariter & prōpte subeunda. Ambrosius. Christus:
 rex noster est. & ideo quod rex iubet: deserere non
 possumus & contemnere. Quantos imperator terrę
 hui9: in peregrinis locis / aut honoris specie / aut mune-
 ris alicuius causa / iubet degere. Nunquid hi incōsulto
 imperatore discedunt? Et quāto amplius est / diuinis
 parere: q̄ humanis? ¶ Beatus Paulus / mori sibi lucrū 7

Philip. 1. existimauit: cum ait ad Philippenſes. Michi viuere
 Christus est: & mori lucrū. Mors igitur a sapiēte vi-
 ro & prudente: inter bona computari debet / & ha-
 beri. Ambrosius. Viuere sancto Paulo Christus est:
 & mori lucrum. Quasi seruus enim / non refugit vitę
 obsequium: & quasi sapiēs / lucrū mortis amplectitur.

Lucrum est: euasisse incrementa peccati. Lucrū: fu-
 gisse deteriora / & ad meliora transisse. Et addidit.
Philip. 1. Dissolui & cū Christo esse: multo enim melius. per-
 manere autem in carne: magis necessarium propter
 vos. Aliud melius: aliud necessarium. Necessa-
 rium / propter fructum operis: melius / propter gratiā
 & copulam Christi. ¶ Præsens vita / tentationum la- 8

queis est refertissima: qui per mortem conteruntur &
 dissoluūtur. vt liberi clamare possint sancti post mor-
Psal. 123. tem. Laqueus cōrritus est: & nos liberati sumus. Nō
 est igitur mors ipsa: malum. Ambrosius. Quid est
 aliud hæc vita: nisi plena laqueorum? Inter laqueos

ambulamus: inter plurimas versamur tentationes/ vt
 ait beatus Iob. Nūquid non tentatio est vita homi- Iob. 7.
 nis in terra? Bene addidit: in terra . quia est vita ho-
 9 minis & in cœlo. ¶ Varijs perturbationum fluctibus
 aguntur homines in hac vita : & instabilitate conti-
 nua fluctuant / ob diuersos affectus quibus iactantur.
 Per mortem vero : sedantur & conualescunt graues
 istæ tēpestates. Mors igitur bonū. Ambrosius. Ho- Ambrosius.
 minis habitatio/ in luteis domibus: & ipsa vita in lu-
 to. nulla firmitudo sententiæ: nulla cōstantia. In die
 nox desideratur: in nocte dies quæritur . Ante escam
 gemitus: inter cibos fletus / lachrymæ / dolores / timo-
 res sollicitudines . nulla requies a perturbationibus:
 nulla a laborib⁹ reclinatio / iræ & indignatiōis motus
 horridior. Pleriq; cupiūt mortem: & non impetrāt.
 si autē impetrauerint: gratulātur. quia sola est mors/
 10 requies viro. ¶ Mors / ipsi animæ nullum adimit suū
 bonum: quinimmo præstat facultatem vt exonerata
 mole carnis melius suo perfruatur bono / & expedit⁹
 suas exerceat functiones. Est igitur mors: in bonorū
 numero reponenda. Ambrosius. Cū autē manet post Idem.
 mortē vita atq; anima: manet bonū. nec morte amit-
 titur: sed augetur. nec vlllo impedimēto mortis retar-
 datur anima: sed operat⁹ magis. quia operat⁹ quę sua
 sunt / sine vlla societate corporis: quod animæ maio- Sapi. 9.
 ri oneri: q̄ vsui est. Quid igitur mali est animæ: quę
 puritatē suā custodierit / & virtutū disciplinā seruau-
 rit? Aut si nō seruauerit: nō mors malū / sed vita: quia
 vita nō fuit. Quę enim est vita: vitij peccatisq; ob-
 11 sita? ¶ Inter carnē & spiritū assidua est pugna: quā
 sola mors dirimit. In tota itidē hac vita: periculosa
 est nauigatio. sed nostrā nauē: ad port⁹ trāquillitatē
 mors deducit. Est igit⁹ ipsa de numero expetēdorū.

Doctrina

- Ambrosius.** Ambrosius. Omnifariam igitur mors est bonum: & quia cōpugnancia diuidit ne se inuicem impugnēt. & quia portus quidam est eorum/qui magno vitę istius iactati salo: fide quietis stationem requirunt. & quia deteriozem statum non efficit/sed qualem in singulis inuenerit: talem iudicio futuro referuat. et, quiete ipsa fouet/& præsentium inuidię subducit: & futurorum expectatione componit. ¶ Mors ipsa neq; naturæ fi- 12 nis est: quoniam anima post mortem est superstes/& expers interitus. neq; omnino finis vitæ: quoniã per resurrectionem vita immortalis corpori redditur. sed solum finis peccati: quoniam in morte homines peccare desinunt. Non est igitur mors: inter mala/cōnummeranda. Ambrosius. Accedit eo q̄ frustra homines mortem timent: quasi finem naturæ. Nam si recolas
- Sapient. 1.** mus q̄ deus mortē nō fecerit / sed postq̄ homo lapsus in flagitium est: præuaricationis & fraudis sententia
- Genesis. 3.** comprehēderit/vt in terram suam terra remearet: inueniemus mortem finem esse peccati. ne quo esset vita diuturnior: eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur dominus subintrare mortem: vt culpa cessaret. Sed ne iterum naturæ finis esset in morte: data est resurrectio mortuorum/vt per mortem culpa deficeret: per resurrectionē autē perpetuaretur natura. ¶ Mors 13 ipsa / transitus quidam est a deteriore conditione ad meliorē: a labore ad quietē/a pugna ad triumphū/a sudore ad præmiū. Nichil igitur ipsa habet/ob quod/
- Ambrosius.** mala dici debeat aut possit. Ambrosius. Itaq; mors hæc: transitus vniuersorum est. Opus est: vt constanter transeas. Transigitur autem a corruptione ad incorruptionem/a mortalitate ad immortalitatem: a perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomē te mortis offendat: sed boni trāsitus beneficia delectēt.

Quid est enim mors: nisi sepultura vitiorum/virtu-
 tum suscitatio? ¶ Mors sola/hominē tuto laudari si-
 nit: quoniā per totam vitam lapsi in peccatū est ob-
 noxius. Ante mortē (inquit Sapiens) ne laudes homi-
 nem quenq̄. Igitur vt virtutū consummatio & meta
 bonorum operum : ipsa est bonum. Ambrosius. Si
 laudari ante gubernator non potest: q̄ in portū nauē
 deduxerit. quomodo laudabis hominem : priusq̄ in
 stationem mortis successerit? Et ipse sui est guberna-
 tor: ipse vitæ huius iactatur profundo. Q̄ diu in salo
 isto: tandiu inter naufragia . Dux ipse nisi confecto
 prælio nō fumit laureā: nec miles arma deponit/nec
 stipēdij mercedē adipiscit: nisi hoste superato. Mors
 igitur stipēdiorū plenitudo/summa mercedis/gra-
 15 tia missionis est. ¶ Per mortē corpus ipsum quod ani-
 mam infestauerat: in puluerē resoluitur/nō amplius
 illi aduersum futurum. Anima vero soluta nexu cor-
 poris: iam liberior in cœlum attollitur/deoq̄ propin-
 quius hæret. Nichil igitur est: ob quod mortē dam-
 nem⁹/aut mali nomine cēseamus. Ambrosius. Quis
 igitur dubitet de bono mortis? cum id quod inquietum/
 id quod erubescendū/id quod inimicum nobis
 est: id quod violentū/id quod procellosum & ad om-
 nia vitia illecebrosus est : conquiescat & iaceat / &
 quasi feruida cauea claudatur sepulchri / relinquatur
 rabies eius exanimis: & mortua cōpago viscerum in
 terrā resoluatur . Id autē quod familiare virtutibus/
 amicis disciplinis/studiosum gloriæ / sequax boni/
 deo subditū est : ad illud sublime euolet / & in illo
 puro & perpetuo bono atq̄ immortalī maneat / ipsi
 adhæreat: & in ipso sit de quo cognitionē ducit/vt
 quidā ait. Eius & genus sumus. Hęc Ambrosius. Ex
 cuius fertilissima vinea/dicti libri sepib⁹ & limitibus

Ecclesi. 11.

Ambrosius.

Actu. 17.

Doctrina.

clausa: studiosus vindemiator multo plures colligere racemos poterit (ex quibus vinū exprimat: ad tollendā mortis formidinē efficacissimū) si eius animo sedeat. Sed qui hic collecti sunt: presenti negotio sufficiunt/satisfacereq; nostro instituto creduntur.

¶ Ciceronis itē testimonio & approbatione: non esse metuendā mortē/vt malū quiddam. nō tamen licere cuiq; sibi manus inferre violentas & mortem consciscere.

Cap. V.



Ed & Cicero/suauissimo eloquētię torrēte exundans: in primo Tusculanarum quęstionum libro copiose & elegāter edisserit mortē in malis nō esse ducēdā nec extimescēdā/ sed in bonorū nūero haberi debere & optari poti⁹. Ex cui⁹ horto pulcherrimo flosculos aliquot rationū hic decerpemus: subiūctis eius verbis illas approbantibus. ¶ Primū omniū, si animę humanę intēterēt cū corpore (quod utiq; impiū est sentire: & ab ipso Cicerone eo in loco/nec nō circa finē libri de senectute/acerrime cōsutatur) post mortē nec dolor vltius nec sensus reliquus est: ppter quē deberet mors timeri. Si vero post mortē manēt superstitēs animę nostrę (vt & vere manēt: quēadmodū in vtroq; loco iā dicto/Cicero multis rationibus astruit) ad meliorem trāseūt vitę sortē ac qualitātē/iā seiugatę a mole corporis/q̄ hic habuerāt. quare et sic nō est timēda mors. Neq; in ipsa mortis perpeffione qui sentitur dolor: alicuius est momēti. nā brevis est & trāsitori⁹: & in plerisq; leuis ac modicus. Cicero. Fac animū interire vt corp⁹: num igitur aliquis dolor/aut omīno post mortē sensus in corpore est? Ne in animo quidē sensus remanet: ipse enim nusq; est. Vbi igitur malū est?

Cicero.

quoniã nichil tertiũ. An quoniã ipse animi discessus
 a corpore: non fit sine dolore? Vt credã ita esse: q̄ est
 id exiguũ. & falsũ esse arbitror: & fit plerũq; sine sen-
 su/nõnunq; etiã cũ voluptate. Totũq; leue est/quale-
 2 cũq; est: fit enim ad pũctũ tẽporis. ¶ Nec molesta vi-
 deri mors cuiq; debet: q; huius vitę bonis nos priuet
 ac destituat. Nã si verũ fateri liceat/poti⁹ ab ęrũnis
 & miserijs hui⁹ vitę mors liberat: quibus assidue pre-
 mimur q̄diu hic vitã agimus. illis eruimur: cũ effla-
 mus animã. Vnde Valerio teste/Hegesias Cyrenais Hegesias Val:
 eius philosoph⁹ sic mala huius vitę mira vi eloquẽtię
 representabat: vt eorũ miserãda imagine audiẽtium
 pectorib⁹ inserta/multis volũtariã mortis appetẽdæ
 cupiditatẽ ingeneraret. Ideoq; a rege Ptolomeo vlte-
 rius hac de re differere phibitus est. Cicero. Illud an-
 git vel poti⁹ excruciat: discessus ab omnib⁹ ijs q̄ sunt
 bona in vita. Vide: ne a malis/dici veri⁹ possit. Quid
 ego nũc lugeã vitã hominũ? vere & iure possim. Sed
 quid necesse est/cũ id agã ne post mortẽ miseros nos
 putem⁹ fore: vitã etiã efficere deplorãdo miseriorẽ?
 A malis igit̃ mors abducit: nõ a bonis. Verũ si q̄ri-
 mus: hoc quidẽ a Cyrenaico Hegesia sic copiose dis-
 putat̃/vt is a rege Ptolomeo phibit⁹ esse dicatur/ illa
 in scholis dicere: q; multi his auditis mortẽ sibi ipsi
 3 cõsciscerẽt. ¶ Multos vita pductior in graues detru-
 sit calamitates: quibus si ante/diẽ suũ obiissent/om-
 nino fuissent exẽpti. Mors igitur si maturiore exitu
 eos hinc abstulisset/ & citius q̄ abstulit: a malis illis
 postea illatis/non a bonis abstraxisset. Cicero. Priam⁹ Priamus.
 mũ tanta progenie (quinguaginta scilicet filiorũ) or-
 batũ/ cũ in arã cõfugisset: hostilis manus interemit.
 hic si viuis filijs/in columi regno occidisset/astãte ope
 barbarica/tectis cælatis/laqueatis: vtrum tandẽ a bo

Pompeius. nis an a malis discessisset? Et Pompeius noster familiaris cū grauiter egrotaret Neapoli/si tum fuisset extinctus: a bonis rebus an a malis decessisset? Certe a miseris. Non enim cum focero bellum gessisset/non imperatus arma sumpsisset/non domum reliquisset/non ex Italia fugisset: non exercitu amisso nudus in seruorum ferrum & manus incidisset/nō liberi defle-ti/non fortunę omnes a victoribus possiderētur. Hęc morte effugiūtur/etiā si nō euenerint: tamē quia possunt euenire/sed homines ea sibi accidere posse nō cogitāt. ¶ Mors nec uiuis est grauis: quia necdū ad eos 4 peruenit. nec mortuis: quia amplius non supersunt. Nullis igitur inferre molestiam putari debet: neq; malorum numero deputari. **Cicero.** Natura uero sic se habet/ vt quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat: sic exitum mors. quę vt nichil pertinuit ad nos ante ortum: sic ne nichil post mortē pertinebit. In quo quid potest esse mali? cum mors nec ad uiuos pertineat: nec ad mortuos. alteri nulli sunt: alteros non attingit. ¶ Ipsius mortis imago: 5 somnus uulgo esse fertur / teste poeta.

Ouidius. Stulte quid est somnus: gelidę nisi mortis imago?

Longa quiescendi tempora: fata dabunt.

In somno autem/nulla sensus functio: nam consopiti sunt omnes. Ergo neq; in morte neq; post mortem: ullus est sensus. **Cicero.** Habes somnum imaginem mortis: eāq; quotidie induis. Et dubitas/quin sensus in morte nullus sit: cū in eius simulacro videas esse nullum sensum? ¶ Vsus vitę nobis a natura datus est 6 ea conditione: vt cum repetiuerit/illi restituatur. neq; ullum præscriptum est certum tempus: quo repetat. Igitur cum per mortem vita cōmodato accepta repetitur: nimirum improbus est/qui reddere sponte re-

- cusat. Cicero. Pellantur ergo istæ ineptiæ pene ani- Cicero.
les. ante tempus mori: miserum esse. quod tãdem tẽ-
pus: naturæ ne? at ea quidẽ dedit vsurã vitę tãq̃ pecu-
niæ: nulla præstituta die. Quid est igitur q̃ querare:
si repetit cum vult? ea enim conditione acceperas.
- 7 ¶ Nichil diuturnum aut longũ in vita hominis exi-
stimari debet: si æternitati conferatur / quę nullo clau-
ditur termino. Aetas autem humana quantũvis pro-
ducta: suam habet periodũ. Non igitur in longiore
vita / reponẽda spes: sed ad immortalitatem per mor-
tis transitum est aspirandum. Cicero. Quæ vero etas
longa est? aut quid omnino homini lögum? Nonne
modo pueros / modo adolescẽtes in cursu a tergo inse-
quens: nec opinãtes affecuta est senectus? Sed quia vl-
tra nichil habemus: hoc lögum ducimus. Apud Hy-
panim fluuium qui ab Europæ parte in Pontum in-
fluit: Aristoteles ait bestiolas quasdã nasci quę vnũ
diem viuant. Ex his igitur / hora octaua quæ mor-
tua est: prouecta ætate mortua est. quę vero occidente
sole: decrepita. eo magis: si etiã solstitiali die. Cõfer-
nostram longissimã etatẽ cũ eternitate: in eadẽ pro-
pemodum breuitate qua illæ bestiolæ / reperiemur. Aristoteles.
- 8 ¶ Viã vniversę carnis ingressi / & hinc morte subla-
ti: omni deinceps anxietate & angustia sunt liberi.
Ea igitur via: iucũdo & hilari animo est capeffẽda.
Cicero. Proh dii immortales / q̃ optabiliter iter illud
ineũdum esse debet: quo cõfecto / nulla reliqua cura /
9 ¶ nulla sollicitudo futura sit. ¶ Lege & cõstitutione na-
turę: mors omnibus hominibus est cõmunis. Malum
igitur ipsa censeri nõ debet. Cicero. Nos autẽ teneã-
mus: vt nichil cẽseamus esse malũ / quod sit a natura
datũ oĩbus. intelligamusq̃ si mors malũ sit: esse sem-
piternũ malũ. Nã vitę miserę mors finis esse videt̃.

Doctrina.

mors si est misera: finis esse nullus potest. ¶ Cū virtute cōsummatā & adornatā quis transegerit vitam: mors illi dura videri nō debet. Nā relinquit posteris bonorū operū suorū memoriā: semper victurā. Eni tēdū est igit̄ vt probe viuamus/ virtutūq; exerceam⁹ opera: quo facile mortē cōtēnamus. Cicero. Sed profecto mors tū equissimo animo appetitur: cū suis laudibus vita occidēs consolari potest. Nemo parū diu vixit: qui virtutis perfectē/perfecto funct⁹ est munere.

Quare si ipsa ratio minus perficiet vt mortem negligere possimus: at vita acta perficiat/ vt satis superq; vixisse videamur. Quis enim sensus abierit: tamen summis & proprijs bonis & laudis & glorię (quis nō sentiāt) mortui nō carēt. Et si enim nihil in se habeat gloria cur expetatur: tamē virtutē tanq; vmbra sequitur.

Valerius.

¶ Apud Thracēs luctuosa sūt puerperia/ teste Valerio: & læta funera. Nā editū in lucē puerū circūsidētes/eū fletu prosequūtur: recēfentes quascūq; necesse est illi hāc vitā ingresso perpeti calamitates. E cōtrario hominē vita defunctū/ per lusum atq; lētitiam sepeliūt: referētes cū gaudio quot malis est liberat⁹.

Mors igitur cui gratulabundi applaudūt Thracēs: in numero bonorū est reponēda. Cicero. Euripides nos docebat cœtus celebrātes domū lugere/ vbi esset aliquis in lucē æditus: humanę vitæ varia reputantes mala. At qui labores morte finisset graues: hunc omnes amicos laude & lētitia exequi. ¶ Præclari rerum scriptores mortē suis scriptis laudarūt: vt bonū quiddam/et ærūnarū huius vitę finē. Et qui pro patrię salute mortē appetierūt: egregijs laudibus celebrantur in rhetorū scholis. Habenda est igitur mors in numero bonorū: cū solū bonū sit laudabile. Cicero. Alcidas quidā rhetor antiqu⁹ in primis nobilis/ scripsit

etiã landationē mortis: quę cōstat ex enumeratione
malorū hūanorū. cui ratiōes hę quę exquisiti⁹ a philo-
sophis colligūtur/defuerūt : vbertas orationis non
defuit. Clare vero mortes pro patria oppetite: nō so-
13 lū gloriose rhetorib⁹ / sed etiã beatę videri solēt. ¶ Si
nouissim⁹ humanę vitę dies animā nō extinguit (vt
certe nō facit) sed ad alia trāssert loca: nichil hominī
oprati⁹ cōtigere potest/ q̄ vt p mortē emigret in beatio-
ra domicilia. Sin vero mors ipsa cū corpore etiã hois
animā enecat & extinguit (qđ nullo pacto tribuēdū est
aut credēdū) nichil tūc poti⁹ aut meli⁹: q̄ post duos
vitę labores ęterno teneri sōno placidaq; quiete. Ni-
chil igit est: q; mortē formidem⁹. Cicero. Quę cū ita
sint: magna tamē eloquētia est vtēdū/ atq; ita velut su-
periore e loco cōcionādū: vt hoies mortē vel optare
incipiāt/ vel certe timere desistāt. Nā si supremus ille
dies nō extinctionē sed cōmutationē affert loci: quid
optabilius? Sin autē perimit ac delet omnino: quid
meli⁹ q̄ in medijs vitę laborib⁹ obdormiscere / et ita
14 cōniuetē somno cōsopiri sempiterno? ¶ Cū deus nos
hac vita euocat: cū gratiarū actiōe q; presentis mune-
re vitę nos perfūgi dederit / hinc abire leti debemus/
existimareq; nos atro carcere liberari atq; in libertatē
traduci. Illū igit nostrę vocatiōis diē: faustū et fœlici-
cē reputem⁹ oportet / nō funestū. Cicero. Nos vero si
qd tale acciderit / vt a deo denūciatū videat vt exeam⁹
e vita: leti et agētes gratias peream⁹ / emittiq; nos
e custodia & leuari vinculis arbitremur. vt aut in ęter-
nam & plane in nostrā domū remigremus: aut omni
sensu molestiaq; careamus. Sin autē nihil denūciabi-
tur / eo tamē simus animo: vt horribilē illū diē alijs/
nobis faustum putemus. nichilq; in malis ducamus:
quod sit vel a dijs immortalibus vel natura parente

Doctrina

omnium constitutum. ¶ Nichil natura temere aut frustra facit: sed omnia ad finē aliquem determinatum. Nō igitur hominē produxit ad ortum: vt post exactos huius vitæ labores eū detrudat in miseriam mortis perpetuam. sed vt post longā nauigationem: ad quietam stationem tranquillūq; portū perducatur.

Cicero.

Quare mors ipsa vt tranquillus post tēpestates portus haberi debet: bonumq; censerī. Cicero. Non temere nec fortuito sati & creati sumus: sed profecto fuit quædam vis quæ generi cōsuleret humano. nec id gigneret aut aleret/ quod cū exanclauisset omnes labores: tū incideret in malum mortis sempiternū. portum potius paratū nobis & profugium putemus: quo vtinam velis passis peruehi liceat. Si enim reflātib; ventis reijciemur: tamen eodem paulo tardius referamur/ necesse est. Quod autem omnibus necesse est: id ne miserum esse vni potest. Ecce paucos/ ex arcentissimo Ciceronis horto in prima quæstione Tusculana cōsulto: depromptos flosculos. quem sicui cordi est penitius ingredi/ totumq; perambulare: inueniet longe plures & odoratiores/ quorum spiraculis & suaueolentia perfundatur. Hi tamen: præsentī loco sufficiunt. ¶ Ceterū quis multis iā rationib; & testimonijs ostēsum sit/ mortē nō esse metuendā sed expetēdā interdū: nō tamē cuiq; licet suā præcipitare

Cleombrotus

mortē & seipsum occidere. quēadmodū Cleombrotus ille Ambraciota: qui (vt ait Cicero) cū nichil aduersi pateretur/ lecto Platonis libro immortalitatem animorum astruente: vt illam assequeretur / e muro

Cato.

se in mare præcipitem dedit. Et Cato Uticensis eodem libro perlecto/ sibi ipsi manus intulit: ne Cæsari victori seruire cogeretur. Quod quidem factum etsi cōmēdet Cicero & pleriq; Romani: maxime tamen

improbandum est; & vitio dandum: vt diuino præcepto & rectæ rationi omnino aduersum/mollisq; & ignaui animi non valentis duos aduersosq; calus æquo animo ferre: haud obscurum argumentum. Id ipsum sane quod hic proponitur/quis corroboratone testibusq; non egeat: affeuerat in primis Hieronymus super Ioannem/dicens. Non est nostrum Hieronymus mortem arripere: sed illatam ab alijs libeter accipere. Vnde & in persecutionibus: non licet propria manu perire. Accedit illi Cicero in libro de senectute. Vetat (inquit) Pythagoras / iniussu imperatoris id est dei: de præsidio & statione vitæ decedere. Idem quoq; in primo Tusculanarū quæstionum libro ait. Vetat dominās ille in nobis deus: iniussu hinc nos suo demigrare. Eandem etiam sententiam comprobabat Iosephus: cum dicit. Itidem timidus est habendus: qui mori non vult cum opus est; & qui vult cum non oportet. At viri fortis est: semet occidere. immo vero ignauissimi: quantum opinor. Nam & gubernatorem timidissimum puto: qui tempestatem metuens/ante vim turbinis nauem sponte submergit. Quin etiam propria manu perire: a communi omnium animalium natura discrepat/ eoq; modo in creatorem nostrum/summū scelus admittitur. Nullum est animal: quod ex industria vel per se moriatur. Siquidem naturæ lex validissima / vt velint viuere: in omnibus sita est. idcirco & qui nobis adimendum id putant: hostes ducimus; & insidiatores poena prosequimur. Deum vero indigne ferre nō arbitramur: cum donum eius homo despiciat? Ab illo enim accepimus/vt essemus: rursumq; vt esse desineremus/illi reddendum est. Corpora quidem cunctis mortalia sunt: ex caduca materia fabricata. Anima vero

Doctrina

semper immortalis est: deiq; particula in corporibus collocata. Siquis ergo depositum hominis surripuerit aut male tractauerit: pessimus statim ac perfidiosus habetur. Sic dei depositum ex proprio corpore qui eiecerit: eum se latuisse quem leserit aestimabit?

Et seruos quidem fugientes vlcisci/iustum creditur: quis nequam dominos fugerint. Ipsi vero deum fugientes/& optimum deum: impie facere non videbimur? Et paulo post subnectit. Deniq; si qui se occiderint: apud nos quidem (Iudæos scilicet) vsq; ad solis occasum insepultos abijci decretum est: cum etiam hostes sepeliri fas esse ducamus. Apud alios etiam dextræ iubetur abscindi eiusmodi mortuorum: quæ in ipsos armatæ sunt. quoniã vt corpus ab anima: ita manum esse a corpore alienã existimarent. Pulchrũ est igitur o socij iusta sentire: neq; humanis cladibus addere/vt creatorem omnium impietate lædamus.

Iosephus.

Hęc & alia multa præclara ad eandẽ spectantia materiam/refert Iosephus in tertio libro de bello Iudæico: in oratione Iosippi/strenui Iotapatenorũ ducis. qua post Iotapatæ a Romanis expugnatę excidium/socijs persuadere nititur secum in abdita spelunca latitantibus: ne sibi ipsis manum inferrent/mortemve consciscerent. Cui astipulatur Egesippus libro tertio de excidio Hierosolymitano: his verbis. Ingrati est/& citius discedere q̃ velit: & diutius viuere velle/q̃ voluerit ipse qui vitã donauit. Non licet animam soluere a corpore: nisi ei qui ligauit. Deo seruitium debemus: dei ergo nos quasi serui expectemus imperia.

Aristoteles.

Ad hæc/Aristoteles in Ethicis dicit eos qui vitã sibi violente abripuerunt/publica ignominia a republica iuste & legitime affici solere: quoniam grauius ter in ipsam rempublicam (cuius erant membrum)

deliquerūt. Et Virgilius in sexto Aeneidos/eosdem describit apud inferos diras dare pœnas : de quibus deinde subnectit. Qz vellent æthere in alto : nunc & Virgilius. pauperiem & duros perferre labores. Demum Plato ad idem confirmandum : hac vtitur similitudine. Si- Plato. cut eos (inquit) qui potestatis imperio traduntur in carcerē/non oportet inde diffugere : priusq̃ potestas ipsa que clausit/abire permiserit. sic nobis iniussu dei demigrandum e vita non est. Vt etq̃ hominem sibi inferre vel accersere mortē : docens expectandam esse naturam. Vnde & sancti patres in antiquæ legis vmbra degētes cum aliqua premerētur aduersitate : non sibi ipsi mortē consciuerunt/sed a deo hinc tolli suppliciter petiuerunt. Vt Hélias a Iezabel regina Isra- el persecutionibus afflictus/cum fugeret ab eius conspectu/petiuit animę suę (inquit scriptura) vt moreretur. Et ait. Sufficit michi domine : tolle animā meā. 3. Reg. 19. Neq̃ enim melior sum : q̃ patres mei. Tobias etiam senior cæcitate percussus/& ab vxore sua opprobriis lacessitus : cum gemitu & lachrymis inter cætera ita orauit. Et nunc domine secūdam voluntatem tuam Tobię. 3. fac mecū : & præcipe in pace recipi spiritū meū. Expe- dit enim michi mori magis q̃ viuere. Deniq̃ Sara filia Raguel cum improperium audiuisset ab ancilla domestica/q̃ septem viros suos quibus tradita fuerat occidisset/omnino a vero alienum. nō per impatien- tiam doloremq̃ animi seipsam interemit/vt alię fra- cto ac deiecto animo forte fecissent. sed cōtinuo per- rexit in superius cubiculum domus suę : & tribus diebus & tribus noctibus non manducauit neq̃ bib- bit. sed in oratione persistens cum lachrymis de- precabatur deū : vt ab illo improperio liberaret eam/ inter alia suę deuotæ & piæ orationis verba/dicens.

Doctrina

Tobie. 3. **P**eto domine / vr de vinculo improperij huius absol-
 uas me: aut certe desuper terram eripias me. Et idcir-
 co meruit admirabili dei prouidentia angelicoq; mi-
 nisterio: foeliciores q̄ antea experta fuerat nuptias af-
 sequi. **Q** si hanc animi constantiam habuisset Ro-
 mana illa Lucretia: non ferrum in pectus suum ade-
 gisset: vt in se alienum puniret crimen. Ob quod nō
Lucretia. laudibus extolli est digna / vt fortis & magnanima:
 sed vituperio incessenda & damnanda / vt mollis &
 prostrati animi mulier: non potentis illatā iniuriam
 modeste ferre.

Clugem mortis meditationem / homini vti-
 lem esse: commendandamq; summopere
 mortificationem affectuū corporalium in
 hac vira.

Cap. VI.



On esse quidem metuēdam mor-
 tem: præcedens sermo sufficiēter
 (vt reor) ostendit. nichilo secius
 habendam esse assiduā eius me-
 ditationem: non dissuadet / nec
 dehortatur. q̄ magnam afferat
 frequens illa cogitatio homini-

bus vtilitatem: vtpote reuocationem a peccato per-
 petrando / mundi q; despiciētiam. Inquit enim Hie-
Hieronym⁹ ronymus in epistola ad Paulinum. Facile cōtemnit
 omnia: qui se semper cogitat esse moriturū. Et Moy-
Deutero. 32 ses incurium futurorum populum Israeliticum / atq;
 improuidum: his increpatat verbis. Gens absq; consi-
Eccli. 7. lio & sine prudentia: vtinā saperent & intelligerent /
 ac nouissima prouiderent. Demum Ecclesiasticus
 quenc; nostram salubriter admonet / dicēs. In omni-
Eccli. 14. bus operib⁹ tuis memorare nouissima tua: & in eter-
 num nō peccabis. Et rursus. Memor esto: quoniam

mors non tardat. Cui respōdet Hieronymus: ita scribens Cypriano. Memēto mortis tuę: & nō peccabis. Hieronymus
 Qui se quotidie recordatur esse moriturū: contēnit præsentia & ad futura festinat. ¶ Enimuero si titillat animū ambitio/ & excelsos honorū gradus cōscendē di appetentia: si pōpa/ si mūdi gloria delectat/ veniat autē in mētē mors obeunda: protinus cadūt alti illi spiritus/ & animositas omnis deprimit̄. Quid superbis terra & cinis? inquit Sapiens/ ad retūdēdā nostrā superbiā: mortis cogitationē nobis ingerens. Ecclī. 10.
 Quid etiam extollitur in altū homo putredo/ & fili⁹ hominis verm̄: qui mortis iaculo forsan hodie aut cras hui⁹ prosternendus est? Vnde Augustinus in libro de natura & gratia: inquit. Si de diuitijs & honorib⁹ & morum nobilitate te iactas: de patria & pulchritudine corporis/ & honoribus qui tibi exhibentur ab hominibus: respice te ipsum/ quia mortal̄: terra es et in terram ibis. Circūspice: qui similibus fulsere splendoribus. Vbi sunt quæ ambiebant currū potestates? Vbi insuperabiles imperatores? Vbi sunt/ qui cōuētus disponebant & festa: & equorum splendidi nutritores? Vbi nunc vestes & ornāmēta peregrina: vbi seruorū turba/ vbi iocus & lētitia? Vbi exercituū duces: vbi satrapę & tyrāni? Nōne omnia: puluis & fauilla? Nōne in paucis versibus: eorum vitæ patet memoria? Respice eorū sepulchra: & vide qui seruus & qui dominus/ qui diues qui pauper. Discerne si potes: victum a rege/ fortē a debili/ pulchrum a deformati. Vide si est aliquod in eo signū iactantię suę. Memorare utiq; naturę: ne extollaris. Et idem in secūdo libro de doctrina Christiana: ait. Timor de futura morte/ mētē necessario concutit: & quasi clauus carnis omnes motus superbię ligno crucis affigit. Hęc ille. Si præterea

Doctrina

- cupiditas opum cōcitāt animū ad aurū congerendū
 ad prędia / domos & preciosam supellestem coemē
 dam: occurratq; menti mortis demū venturę memo
 ria/refrigescit illico æstus ille & feruor auaritię. quoz
 niam vt ait Iob . Diues cum interierit / nichil secum
 auferet: aperiet oculos suos & nichil inueniet. Et pro
 pheta in psalmo. Dormierūt somnū suū: & nichil in
 uenerūt omēs viri diuitiarū in manib⁹ suis. Rursum
 idē. Thesaurizat: & ignorat cui cōgregabit illa. De
 mū si instimulat hominē insidiosa libido / & ad illece
 bras acri⁹ impellit: subeatq; animū tristis imago mor
 tis haud dubie oppetēdę / e uestigio noxię illę flāmę
 residūt & suscitata restingūtur incēdia. haud aliter q̄
 si frigidā aquā feruēti infuderis: cōfestim decedit om
 nis illa ebullitio / & fūdū petēs aqua cōquiescit. Quē
 em̄ (oro) delectabit voluptas carnis / aut quē oblectas
 būt blādimēta luxurię: vbi oculis obijciūt exāgue fu
 nus / corp⁹ exanime aspectuq; horridū / putor cadaue
 rū / pedor sepulchri / & colluuię putredinis in busto:
 vbi societas illa post mortē depastura corp⁹ / ingerit
 animo: de qua loquit̄ Ecclesiastic⁹ . Cū moriet̄ ho
 mo: hęreditabit serpētes & bestias et vermes. Ecce
 quos habebit socios & asseclas corp⁹ : cū sepulchro cō
 ditū abibit in fauillā & cinerē. Quorū cōsideratiōe:
 ab omī lasciuia & petulātia carnis / se cū vita manet:
 frenare & coercere debet. Propterea cōmēdat̄ mirifi
 ce illa Platonis sētētia: qua perhibet totā philosopho
 rū vitā esse meditationē considerationēq; mortis. q̄
 hęc potissimū iducat ad cōtēptionē rerū mūdanarū:
 quā ipsa philosophia sūmopere probat / docet & suad
 et. Eādē pbat ac citat facer Hieronym⁹ in epistola
 ad Heliodorū / dicēs. Platonis sentētia est: omnē sa
 pientū vitā / meditationē esse mortis. Debem⁹ igit̄ &
- Iob. 27.
- Psal. 75.
- Psal. 38.
- Eccli. 10.
- Plato.
- Hieronym⁹

nos animo premeditari / quid aliquādo futuri sum⁹ :
 & quod velim⁹ nolimus / lōgius abesse nō potest . Et
 rursus idē / loco eodē . Nichil æque tibi proficiet ad
 temperantiā omnīū rerū : q̄ frequēs cogitatio brevis
 enī / & huius incerti . Quicquid facies : respice mortē .
 Verū id Platonis dictū modo citatū / nō solum de na-
 turę morte intelligi debet : quæ est dissolutio animæ
 a corpore secūdū rē ipsā . sed & de mystica & spiritua-
 li hominis morte : quę est abductio animę / subsistētis
 quidē in corpore / ab affectibus & vitijs corporis / & ad
 seipsam reuocatio . De qua Cicero in primo Tuscu-
 lanorū libro ita differit . Tota philosophorū vita (vt
 ait Plato) cōmētatio mortis est . Nam quid aliud agi-
 mus : cū a voluptate / id est a corpore / cū a re familiari
 quę est ministra & famula corporis / cū a republica / cū
 a negotio omni se uocam⁹ animū / quid inquit / tū agi-
 mus : nisi animū ad seipsū aduocam⁹ / secū esse cogi-
 mus / maxieq; a corpore abducim⁹ ? Secernere autē a
 corpore animū : nec quicq; aliud est q̄ emori discere .
 Quare hoc cōmētemur mihi crede / dissiſgamusq; nos
 a corporib⁹ / id est cōsueſcam⁹ mori . Hoc & dū erim⁹
 in terris : erit illi celesti vitę simile . Et cū illuc ex his
 vinculis emissi feremur : min⁹ tardabit cursus animo-
 rū . Nā qui in cōpedib⁹ corporis sepe fuerūt : etiā cū
 soluti sūt / tardi⁹ ingrediunt . vt hi qui ferro vincēti mul-
 tis ānis fuerūt . Quo cū venerim⁹ : tū deniq; viuem⁹ .
 Nā hęc quidē vita : mors est . hęc Cicero . Eādē myſti-
 cā mortē / secretionē scilicet animę ab affectiōib⁹ cor-
 poris : pulchre cōmēdat Ambrosi⁹ in libro de bono
 mortis / dicēs . Quid in hac vita aliud iusti agūt : nisi
 vt exnāt se huius corporis cogitationibus / quæ ve-
 lut vincula nos ligant ? & se ab his molestijs separare
 cōtendant / renūcient voluptatibus suis atq; luxurijs .

Doctrina

- fugiāt flammās libidinū. Nōne igitur vnusquisq; in hac vita positus speciem mortis imitatur: qui potest ita se agere vt ei moriatur omnes corporis delectationes / & cupiditatibus omnibus mūdiq; illecebris etiā ipse moriatur? sicuti mortuus erat Paulus: dicēs. Michi enim mūdus crucifixus est: & ego mūdo. Deniq; vt sciamus quia est mors in hac vita / & bona mors: hortatur nos vt mortē Ihesu in corpore nostro circūferamus. Qui enim habuerit in se mortē Ihesu: & vitam domini Ihesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis: vt operet & vita. Et paulo post idē. Imitatur igitur mortē: qui se a cōmunionē carnis huius abducit / atq; illis vinculis soluit: de quibus tibi dicit dominus per Esaiā. Solue omnē colligationem iniustitiæ / dissolue obligationes violentarū cōmutationū: dimitte contractos in remissionē / & omnem circūscriptionem iniquā dirumpe. Imitatur & ille mortem: qui se voluptatibus exiit / & a terrenis cogitationibus attollit atq; ableuat / & in illo cœlesti habitaculo locat: in quo Paulus cum adhuc viueret conuersabatur. Aliter enim non diceret. Nostra autē conuersatio: in cœlis est. Demū nōnullis interiectis idē ait. Vnde & nos dū in corpore sumus / vsum mortis imitantes: ableuemus animā nostrā ex istius carnis cubili / & tāq; de isto exurgam⁹ sepulchro. Abducamus nos a corporis nexu: relinquamus omnia quęcūq; terrena sunt. vt cum venerit aduersarius: nichil in nobis inueniat suum. Contēdamus ad illud æternum: ad illud diuinum euolemus pēnis dilectionis / & remigio charitatis. Surgamus hinc: hoc est de secularibus atq; mundanis. Dixit enim dominus. Surgite: eamus hinc. præcipiens vt vnusquisq; surgat de terrenis: erigat animam humi iacētē / & ad super-
- Galath. 6.
2. Corin. 4.
- Esaię. 58.
- Philip. 3.
- Ioan. 14.

na attollat. Hæc Ambrosius. Quinimmo & dominus noster in euangelio: hæc mortem spiritualē (quæ in abductione animi a delictis carnis & affectu mūdi huius consistit) nobis asciscēdam esse / frequētius edocet. Siquis (inquit) vult venire post me: abneget se **Lucę. 9.**
 metipsum / & tollat crucem suā quotidie & sequatur me. Et qui non odit patrem suū & matrem suam / ad **Lucę. 14.**
 huc autem & animā suam: non potest meus esse discipulus. Rursum. qui nō renūciauerit omnibus quæ possidet: nō potest meus esse discipulus. Et qui amat **Ioan. 12.**
 animam suā in hoc mundo: perdet eam. Qui autem oderit animam suam: in vitam æternam custodit eam. Et iterū. Nisi granū frumenti cadens in terrā / mortuū fuerit: ipsum solū manet. Si autē mortuum fuerit: multū fructum affert. Hęc enim & consimilia diuina documenta / quibus respersum est sacrū euangelium: vt de eruendo oculo qui nos scandalizat / de **Matth. 18.**
 præcidenda manu & pede / de eunuchis qui se castrāt **Matth. 19.**
 propter regnū dei: nichil aliud tradunt / nisi animā a corpore & eius cōtagijs spiritualiter esse auocandā: & a mundi oblectamentis secernendā. Demū eandē doctrinam maxime omniū salutarem / sæpius in suis sacratissimis epistolis tradit diuinus Paulus: vt cum ait. Mortificate mēbra vestra quæ sunt super terram: **Coloss. 3.**
 fornicationem / immunditiā / libidinem / concupiscentiam malam. Et si spiritu facta carnis mortificaueritis: vituetis. Rursum. Qui autem sunt Christi: carnē **Roma. 8.**
 suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Et **Gala. 5.**
 Colossenses sacris instituēs monitis: ait. Igitur si cō- **Coloss. 3.**
 surrexistis cū Christo: quæ sursum sunt quærite / vbi Christus est in dextra dei sedens. quæ sursum sunt sapite: non quæ super terram. Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in deo. Ecce

mor tuos vocat eos apostolus: quos per epistolā compellabat & alloquebatur. mortuos inquam peccato / mo rtuos mundo: & seiugatos a contaminatione corporis / quod tamē adhuc gestabant. Sancta nimirum & singularis est illa mors: quæ vitæ huic naturali nō repugnat / sed eam tandem cum æterna commutat vita. Et de hac quidem morte / hactenus protractus est præsens sermo: non tamen inutiliter aut incassum / vt reor. Nam summopere ipsa confert ad mortem naturæ æquo perferendam animo: & prompte subeūdā.

Quisquis enim hic vitam agens seiugauit animam suam continuo virtutum exercitio / ab affectibus corporis bonorumq; sensibilibus: imminētē mortem lætus excipiet / & sine animi ægritudine molestiaq; hinc demigrabit. Qui vero affectionibus opum / honoris aut carnis irretitus / & tanq̄ vinculis quibusdam illigatus tenetur: tristis admodum illi & amara est discessio animæ a corpore. Inuitus enim et moerēs relinquit hoc ergastulum: quod nimio affectu sibi ipsi arctius astrinxit / carceremq; suum molestiorem sibi / & exitum ab eo duriores reddidit. Quod non subticuit Ecclesiasticus: hæc ad mortem verba fa-

Eccli. 4.1. ciens. O mors q̄ amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis / viro quieto: & cuius viæ directæ sunt in omnibus / & adhuc valenti accipere cibum. ¶ Demum continua mortis consideratio (vt vnde paulum digressa est: nostra recurat oratio) præter cetera / hunc etiam fructum affert homini: q̄ præmunitum eum reddit & cautum / ne ab ea inopinato adueniente preoccupetur. perinde atq; hostem sollicitis excubijs & peruigili cura expectans: nec insidijs ab eo circumuenitur / nec repentino illius terretur incurso. Non enim ex insidijs adoriri illum po-

test improuifus hostis : contra cuius molitiones & conamina/diuturna sollicitudine uigilatū est. Ita qui mortem quotidiana cogitatione quasi familiarem sibi & domesticam reddidit: securus eam expectat | & præuiso ferientem telo contra ictum eius armatus/minus timet. Iacula enim præuisa (vt vulgo dicunt) minus ferire solent. Vnde & subitaria morte nequaquam is rapitur: qui eam quasi quotidie sibi præsentem assidua cogitatione constituit. quandocumque enim & quomodocumque aduenerit : & expectata illi & præcogitata mors est/nec inopino aduentu territare uisum potest.

¶ Quid multum etiam confert homini assidua consideratio fragilitatis & breuitatis huius uitæ : fluxæ & momentaneæ. Cap. VII.



Ecce minus ad salutem conducit homini frequens consideratio fragilitatis & breuitatis huius uitæ/ut in ea fiduciam non reponamus : ne baculo (ut aiunt) arduineo innitiamur. nec longos nobis annos promittamus: forsan cras/aut perennem die hinc euocandi. Hanc autem nostræ conditionis fragilitatem atque uanitatē attestatur psalmographus dicens. Veruntamen uniuersa uanitas : omnis homo uiuens. Rursum. Dies mei sicut umbra declinauerunt : & ego sicut foenum arui. Et iterum. Homo uanitati similis factus est: dies eius sicut umbra prætereunt. Cui accedit & Iob. Homo (inquit) natus de muliere/breni uinens tempore: repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur & cõteritur/ & fugit uelut umbra: & nunquam in eodem statu permanet. Vbi apte ad exprimendam nostræ sortis imbecillitatem ac euanescentiam

Psal. 38.
Psal. 101.
Psal. 143.
Iob. 14.

Doctrina

tiam: vmbre & floris vtitur exēplo. quo & in plerisque alijs sacre scripturæ locis vfos sanctos scriptores inuenimus: adiuncta in super fœni similitudine: quod facile suum perdit virorem & exarescit. vt prophetam

Pfal. 102

in psalmo. Recordatus est quoniã puluis sumus / homo sicut fœnum : dies eius tanq̃ flos agri sic efflorescit. Et alio loco quod de iniquis dicit : de omnibus

Pfal. 36.

etiã hominibus verũ est Quoniã tanq̃ fœnũ velociter arefcunt : & quẽadmodum olera herbarũ cito decident . Iterum alio loco: de vnoquoq̃ hominum id

Pfal. 89.

profert. Mane sicut herba trãseat/ mane floreat & trãseat: vespere decedat/ induret & arefcant. Beatus etiam

Iaco. 1.

Jacobus in sua epistola canonica iisdem similibus vtitur: cum ait/ q̃ homo sicut flos fœni transibit . Exortus est enim (inquit) sol cũ ardore / & arefcit fœnũ : & flos eius decedit/ & decor vultus eius deperijt. Idẽ

Iaco. 4.

quoq̃ paulo post. Quẽ est enim vita nostra ? vapor est ad modicũ parẽs: & deinceps exterminabitur. Respondet his sacris testimonijs & concordat sanctus

Cap. 7.

Ambrosius,

in tertio libro Hexameron de herba virente & flore fœni ita differens. In hac germinũ specie & in illo virẽtis herbæ munere: imago est vitę humanę/ & naturæ conditionisq̃ nostræ insigne quoddam spectatur: & speculum elucet . Illa herba & flos

Esaie. 40.

fœni: figura est carnis humanę. sicut bonus diuinitatis interpres: organo suę vocis expressit/ dicens. Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum : & omnis gloria hominis vt flos fœni. Aruit fœnũ/ & flos decedit: verbum autem domini manet in æternum. Dei sententia: vox humana est. Dicit deus: clama/ sed in ipso Esaia loquitur. Ille respõdit: quid clamabo? Et tanq̃ quid loqueretur audisset: adiũxit. Omnis caro: fœnũ. Et vere. Viret enim & gloria hominis in car-

ne: quasi fœnũ. & quę putatur esse sublimis: exigua
 quasi herba est. p̄matura vt flos: caduca quasi fœnũ.
 Germinat vitę viriditatē in specie: nō in fructu soli-
 ditatē. Hilarioris vitę quasi flos p̄tēdēns iocundita-
 tē: beuiori spacio occasura. sicut herba fœni: quod
 priusq̄ euellatur arefcit. Quę enim firmitudo in car- P̄fal. 128.
 ne: quę salubritas potest esse diuturna? Hodie videas
 adolescētē validũ/pubescētis ætatis: virtute florentē
 grata specie/suauī colore. Crastina die: tibi facie &
 orę mutatus occurrit. Et qui pridie tibi lautissimus/
 decorę formę visus est gratia: alio die miserādu ap-
 paret/ægritudinis alicui⁹ infirmitate resolutus. Ple-
 rosq̄ aut labor frāgit/aut inopia macerat/aut crudi-
 tas vexat/aut vina corrūpunt: aut senectus debilitat/
 aut euiratos delitię reddunt/luxuria decolorat. Nō
 ne verũ est: quia aruit fœnum & flos decidit? Alius
 abauis atauisq̄ nobilis/et maiorũ honestatus in fulsi-
 profapię veteris clarus insignibus/amicus abundans/
 stipatus clientibus & vtrũq̄ latus tectus/ secũ produ-
 cens maximã ac reducēs familiã: repente aliqua acci-
 dentis periculi mole turbatus/ destituitur ab oibus/ a
 sodalib⁹ derelinquit/impugnat a proximis. Ecce ve-
 rũ est quia sicut fœnũ vita hominis: priusq̄ euellatur P̄fal. 128.
 arefcit. Est etiã qui dudũ ab vbertate affluens copia-
 rũ/liberalitatis fama per ora volitãs singulorũ/ clar⁹
 honoribus/preeminēs potestatis/tribunalib⁹ cellus/
 folio s̄blimis/beatus populis q̄stimatus/dum p̄co-
 num clamore deducitur: subita rerum conuersione
 in carcerem rapitur quo alios ipse detrulerat & inter
 reos suos imminētis pœnę deflet q̄rũnam. Quantos
 hodie caterua plaudentiũ / & inuidiosa fauentis po-
 puli frequens domũ pompa deduxit: & nox vna glo-
 riosę illũ splēdorē deductionis aboleuit: ac repētius

Doctrina

lateris dolor effusis gaudijs luctuosam grauis successione mœroris admiscuit. huiusmodi igitur est gloria hominis: sicut flos scœni. Quę etiã cū defert: nichil operibus adiūgit / in qua nullus fructus acquiritur. Ecce amittitur: euanescit / omnē scœnã hominis & quam desuper obūbrabat repēte destituēs / & quã intus animabat. Hęc Ambrosi⁹. ¶ Sed quid de vitę nostre breuitate nūc retexã? quorū etas sine retinaculo cōtinue labiit in mortē: & more fluentis aque rapido impetu fugaces anni prętereūt. Certe vt ait quidã. Pręcipiti cursu fugit irreuocabile tempus:

Atq; abeunt nullo frena morante dies.

Diffugiunt tacitis nostri successibus anni:

Et velut umbra / cito pręterit hora pede.

Hoc quoq; quod loquimur: de nostro tollitur æuo.

Atq; aliquid vitę singula verba ferunt.

Cui cōsonat Persianū illd: nro seper infigēdū animo

Perſus. Viue memor leti: fugit hora / hoc qđ loquor: inde est

Hieronym⁹ Et Hieronymus in epistola ad Heliodorū: cōsolatoria de morte Nepotiani. Quotidie morimur / quoti-

die cōmutamur: & tamen eternos nos esse credimus.

hoc ipsum quod dicto / quod scribitur / quod relego / quod emēdo: de vita mea trahit. Quot pūcta notarij: tot meorū dāna sunt tēporū. Scribim⁹ atq; rescri-

bimus / trāseunt mare epistolę: & scindēte sulcū carina / per singulos fluctus etatis nostrę momēta minuitur.

Hęc Hieronym⁹. Id ipsum & Seneca his verbis cōfirmat. Quotidie morimur: quotidie enim demittit aliqua pars vitę. & tunc quoq; cū crescimus: vita de-

crescit. Infantia amissimus: deinde pueritia / deinde adolescētia. vsq; ad extremū quicquid trāsijt tēporis perijt. hūc ipsum quē agim⁹ diē: cū morte diuidim⁹.

Neq; ab ea discedit sentētia Cato / ita apud Cicero

Seneca.

nem in libro de senectute loquēs de vitę nostrę breui-
 tate. Sed michi ne diurnū quidē quicq̄ videtur: in Cicero.
 quo est aliquid extremū. Cū enim id aduenerit: tūc
 illud quod præterijt/effluxit. tātū remanet quidem:
 quod virtute recte factis sis cōsecutus. Horę quidē ce-
 dūt & dies: mēses & anni. nec præteritū tēpus vnq̄ re-
 uertit: nec quid sequat̄ sciri potest. Quod cuiq̄ tēpo-
 ris ad viuēdū datur: eo debet contētus esse. Hęc ille.
 Videm⁹ sane plērosq̄ infantes/in ipso fere limine ac
 vestibulo vitę: morte extingui. alios pueritia vix
 egressos: fato sustolli. nōnullos in ipso adolescentiæ
 flore: atra morte occupari. Hos in iuuenili æuo cū ad
 huc suā ordiūtur telā: repēte succidi. pauciores ad vi-
 rilē/senilē aut decrepitā prouectos ætatē: demū etiā
 morte resolui. Quib⁹ certe quotidianis ante oculos
 nostros obiectis exēplis: vitę nostrę breuitatē vel pal-
 pitātes aut cōniuētes oculis cōspicimus. Produxerūt Gene. 5.
 quidē ātīqui patres nostri/paulo post ipsā mūdi con-
 stitutiōnē: vitā in nongentos & quinquaginta/immo
 interdū numerosiores ānos. Post immissum autē mū-
 do diluuiū/rari sane inuenti sunt: qui ex sacrarū lites-
 rarū testimonio/ducētos vitę annos expleuerint. At
 vero nostra tēpestas potissimū habet locū p̄scripta
 illa vitę humanę meta: quā p̄phetic⁹ sermo denūciat
 dicēs. Dies ānorū nostrorū in ipsis: septuaginta āni. Psal. 39.
 Si autē in potētatib⁹ octoginta āni: & āplius eorū la-
 bor & dolor. Verū finge aliquē aut Nestorios exple-
 re dies/aut Sibyllinos ānos: vel nouē cornicis viuere
 secula/ceruīve viuacē spacio vitę æquare/aut si ma-
 uis/Mathusalēā attingere etatē: nōne adhuc breuis
 cēseri debet ea vita & correpta/que demū suo claudit
 extremo termino? Protractior certe foret (fateor) ei⁹
 ætas: q̄ illorū qui vix annū vnū complent/aut cōtra-

Doctrina

etioꝛe viuunt dierū curriculo. Verum si ad eternitatē nullo terminandā fine quātālibet hominis etatē conferas: ea plane erit collatio/ quæ pedalis lineæ ad infinitam/ aut puncti ad hanc totā mundi molē. Vt si ad eternitatis infinitudinē/ nostrę mētis oculos inflectamus: quantocūq; annorū numero spaciosum hominis euum/ & breuissimū & prope modū momētaneū dicere possimus. Vnde propheta ad deū verba faciēs

Psal. 89. de humanę vitę decursū: quoniā mille anni ante octo

los tuos (inquit) tanq̄ dies hesternæ quę præterijt. Ne

Boetius.

q; abhorret ab hac sentētia Boetius: in secūdo libro de consolatione philosophica/ dicēs. Vnius hora momenti si decē milibus cōferatur annis/ quoniā vtrūq;

spaciū diffinitū est: minimā licet/ habet tamē aliquā

proportionē. At hic ipse numerus ānorū/ eiusq; quātūlibet multiplex :

ad interminabilē diuturnitatē nec cōparari quidē potest. Etenim finitis ad seiuicē

fuērit quēdā: infiniti vero atq; finiti nulla vnq; poterit esse collatio. Ita fit vt quātūcūq; prolixi tēporis

fama/ si cū inexhausta eternitate cogitetur: nō parua

sed plane nulla esse videatur. Hęc Boetius. Et quod ille pro subiecta materia ibidē de diuturni tēporis fama pronūciat: nos vere nimīū & apte de humanę vitę etate sic enūciabimus. Ita fit vt quātūcūq; prolixi tēporis etas/ si cū inexhausta eternitate cogitetur: nō parua sed plane nulla esse videatur. Itaq; ex sublimi specula/ altove suggesto ad quēq; mortaliū / sublata voce clamitare lubet. Q; breuis sit vita: respice. O sūme pastor/ o cardinalitio galero insignis/ o pōtifex: o rex/ o princeps/ o dux inlyte / q̄ breuis sit vita: respice. Et hāc sentētiā Delphico digniorē oraculo: alta mente reponē / clarisq; tuæ domus insignibus inscribe. O puer/ o iuuenis/ o venerande senex : o regina

o domina illustris / o plebeia / q̄ breuis sit vita respice:
 memoriq; animo q; breues diēs hominis sunt (vt ait Iob. 14.
 Iob) altius recōde. Multos enim fefellit lōgioris vitę
 spes & fiducia. quos numerosa annorum spacia sibi
 promittentes / & centenariam sperantes etatem: mors
 insperata & inopinata in florēte ac viridi iuuenta ra
 puit. At nequem vestrū hęc tristia maneant fata / aut
 tam repentinus exitus: Mantuanum vtiliter vos ad
 monentē libēter audite.

Nec etati / nec fluxę fidite vitę.

Mantuanus

Mobile tempus abit: mora nulla fugacibus annis.

¶ Q̄ incerta nobis sit mors / quantum ad tempus /
 locum / genus mortis / & animi qualitātē: in qua
 morientes erimus.

Cap. VIII.



Olicitos pręterea nostrę salutis
 reddere nos magnopere debet
 mortis ipsius certo superuenturę
 incerta hora / incertus locus / incertus
 genus / deniq; incerta animę
 nostrę qualitas ac dispositio / quę
 morietib; nobis inerit: an odio

tunc an amore digni habebimur. ¶ Incertā quidem

horam eius nobis esse: cōtestatur in primis Ecclesia-

stes dicēs. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces

Eccēs. 9.

capiuntur hamo / & aues laqueo comprehenduntur:

sic capiuntur homines in tempore malo / cū eis extem-

plo superuenerit. Et dominus noster in euāgelio salu-

briter eiusdem rei nos commune facit: exemplo diui-

tis cuiusdā hominis. cuius cum ager vberes fructus

Lucę. 12.

attulisset: dixit animę suę. Anima / habes multa bo-

na: posita in annos plurimos. requiesce / comede: bi-

be / epulare. Dixit autē illi deus. Stulte: hac nocte ani-

mam tuā repetūt a te. Quę autē parasti: cuius erūt?

Doctrina

- Lucæ. 17.** Exemplo itidem eorum: qui in diebus Noe & Lothi vltice dei manu subitanea morte abrepti sunt. Sicut factum est (inquit) in diebus Noe: ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant/vxores ducebant & dabantur ad nuptias: vsq; in diem qua intravit Noe in arcã/ & venit diluviũ & perdidit omnes. Similiter sicut factum fuit in diebus Loth. Edebant & bibebant/emebant & vëdebant: plantabãt & ædificabãt. Qua die autem exijt Loth a Sodomis: pluit ignem & sulphur de cœlo/ & omnes perdidit. Secũdum hæc erit: qua die filij hominis reuelabitur. Proinde cautos & vigiles ac providos ad mortis aduentũ reddere nos volēs amator humane salutis dominus:
- Marci. 13.** sapius aurib; nostris inculcat. Videte/vigilate/ & orate. nescitis em̄: quando tempus sit. Et iterũ. Vigilate ergo. Nescitis enim: quãdo dominus domus veniat. fero an media nocte: an gallicantu/an mane. ne cum venerit repente: inueniat vos dormiētes. Quod autẽ vobis dico: omnibus dico/vigilate. Quẽ euãgelij locum exponens Theophilus ait. Propter hoc deus nobis tẽpus nostrę mortis occultauit: quia nobis expediebat. Nam si nunc ignorãtes finẽ non curamus: quid faceremus/si finem sciremus? Malitias nãq; nostras: differremus vsq; ad vltimum. Cui astipulatur Augustinus in libro de disciplina Christiana dicēs.
- Augustinus** Latet vltimus dies: vt obseruentur omnes dies. Sero parantur remedia: cum mortis imminet periculũ.
- Gregorius.** Et beatus Gregorius in libro duodecimo moralium Ad hoc (inquit) conditor noster latere nos voluit finem nostrum: diemq; nostrę mortis esse incognitũ. vt dum semper ignoratur: semper proximus esse creditur. & tãto quisq; sit feruētior in operatione: quanto & incertior est de vocatione. vt dũ incerti sumus

quando moriamur : semper ad mortem parati de-
beamus viuere. Alijs etiam locis / vt vigilemus ad
mortis aduentum : dominus nos admonet his ver-
bis. Vigilate itaq; quia nescitis diē neq; horā. Et ite Matth. 25.
rum. Si sciret paterfamilias / qua hora fur veniret : Lucæ. 12.
vigilaret vtiq; & non sineret perfodi domum suam.
Et vos estote parati : quia qua nescitis hora / filius
hominis veniet. Quæ sane salutaria documenta
non solum accipienda sunt de die aduentus domi-
ni ad iudicium vniuersale in consummatione secu-
li : sed & de die particulari / qua venit etiam domi-
nus in morte cuiusq; hominis ad singulare iudicium /
repetens depositū / & cōmissi talēti rationē exposcēs.
De qua / & illud beati Petri itidem & Pauli verbum / 2. Petri. 3.
recte quoq; intelligitur : qd dies domini sicut fur / ita in 1. Thessa. 5.
nocte adueniet / inopinato scilicet & insperato. Et
plane his euangelicis monitis / his apostolicis institu-
tis longe salubrius & fatius est credere : q̄ quibusdam
apocriphis annotationibus & titulis / in fronte nonul-
larum orationum ab incertis compositorum autho-
ribus / inscribi solitis : et aureos montes pollicentis
bus / cum ne harenosos quidem exhibeant. quæ id
asseueranter promittunt / qd quisquis orationes illas
ad deum / sacrosanctam virginem Mariam / aliquem
ve sanctorum nominatim designatum effuderit : nū-
q̄ improuisa corripietur morte. sed aliquot ante tran-
situm ex hoc mundo diebus / cœlesti oraculo edo-
ctus erit / aut candidissimæ & sacratissimæ virginis
manifestaria apparitione : quo die & hora erit illi
hinc emigrandum. Verum id non satis demirari
possum / nonnullos inueniri vsq; adeo futilibus illis
& vanis pollicitationibus credulos : vt euāgelica ver-
ba a summa veritate prolata / & diē illū mortis nobis

Doctrina

ignotū esse astruētia | illis posthabeāt ac postponāt.

Qui prospicere sibi potius deberent/ ne forte laqueus ille sit & decipula dæmonis: volentis hoc astu & vaframēto (vt versipellis est et callidus) pollicitis illis fidentes sibiq; persuasum habentes q̄ repentina morte nunq̄ opprimuntur/ incautos intercipere: atq; cum extremo animarū suarū dispendio/ subitario interitu (quando minime sibi cauerent) hinc abripere: quē admodum etiam in opusculo de gloriosa assumptione candidissime virginis Marię nos annotasse meminimus. vbi identidē nonnulla sunt sparsim inserta propositæ illic materiæ: quæ ad sancte & honeste moriendum/ lectorem studiose admoneant. Præterea (vt cœptum prosequamur iter) beatus Iacobus in sua epistola hanc quoq; vitæ humanæ mortisq; incertitudinē: oculis nostris proponit/ hisce verbis. Ecce nūc qui dicitis. Hodie aut crastino ~~g~~ibimus ad illam ciuitatem/ & faciemus ibi quidem annum: & mercabimur/ & lucrum faciemus. qui ignoratis: quid erit in crastinum. pro eo ut dicatis. si dominus voluerit & si vixerimus: faciemus hoc vel illud. Subscribit illi & Seneca in Thieste: hoc carmine.

Seneca. Nemo tam diuos habuit fauentes:
Crastinum vt possit sibi polliceri.
Res deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Et Horatius eandem complectitur sententiam: his versibus.

Horatius. Quis scit: an adijciant hodiernæ crastina vitæ
Tempora dij superi?
Concordat illi & Martialis: hoc epigrammate.

Martialis. Non est (crede michi) sapientis/ dicere viuam.
Sera nimis vita est crastina: yiuē hodie.

Et Cicero in libro de senectute. **Q**uis est tam stultus **Cicero.**
 (inquit) quis sit adolescens: cui sit exploratum/ se ad
 vesperum esse victurum? Et paulo post eodem loco.
Moriendum certe est: & id incertum/an eo ipso die.
 Demum Ecclesiasticus de quolibet principatū obti- **Eccli. 10.**
 nēte inquit. Rex hodie est: & cras morietur. **Q**uin-
 immo vbi nulla id comprobaret aut sacrorum autho-
 rum aut literaturæ secularis autoritas: frequenti sa-
 tis exemplo edocemur aliquos matutina luce sanos
 et incolumes degere/qui ante noctis sequentis crepu-
 sculum vitam exhalatūt. quod Cæsari in senatu Ro-
 mano/multis vulneribus confosso: contigit. quod &
 Amnon filio David/trucidato in fraterno cōuiuio: **2. Reg. 13.**
 & ipsi Absalon pendentem a quercu & tribus lanceis a **2. Reg. 18.**
 Ioab transfixo: etiam accidit. Cōtra/alios nocte con-
 cubia / integra & bona valitudine vegetos cubitum
 ire: qui sequente diluculo in cubiculo extincti inue-
 niuntur. quod Africano posteriori euenisse: memo-
 riæ proditum est. & Holoferni principi militiæ A-
 syriorum a Iudith animosa viragine in cubili obrū- **Iudith. 13.**
 cato contigisse: sacra refert historia. **Q**uod & beatus
 Gregorius in expositione euangelij / secundæ domi-
 nicæ aduentus domini designati: his verbis confir-
 mat. **N**udiustertius fratres agnouistis / quot subito **Gregorius.**
 turbine annosa arbuta eruta: destructæ domus/atq;
 ecclesiæ a fundamentis sunt euersæ. **Q**uanti ad ve-
 sperum sani atq; incolumes: acturos se in crastinum
 aliquid putabant. & tamen nocte eadem / repentina
 morte defuncti: sunt in laqueo ruinæ deprehensi.
Hæc Gregorius. Id vero si alijs accidisse crebro ex-
 perimento compertum habemus: cur nobis quoq;
 idem accidere posse nō autumamus? aut quare alio-
 rum periculo: non reddimur ipsi cautiores? **Memor**

Doctrina

Ecclesi. 38. esto iudicij mei (inquit Ecclesiasticus) sic enim erit
 & tuum. **Michi heri: & tibi hodie.** Haud dissimili-
 ter quispiam ex iis qui improvisa morte sunt sublatis:
 dicere nobis haud iniuria poterit. Michi hodie / con-
 tigit scilicet ex hac luce / repente tolli. tibi autem
 cras / idem fortasse continget. Et quis diuina boni-
 tate nos (vt confidimus) sub umbra alarum suarum
 protegente / id nobis forsitan non sit euenturum: bo-
 num est tamen & salutare / id ipsum vereri & timere
 ne eueniat. vt si quando forsitan euenierit: nos impa-
 ratos nequaquam surripiat. ¶ Porro incertus est nobis &
 locus mortis: qui in solo natali / in domestico cubicu-
 lo / inter amicorum & cognatorum turbam / nos vale
 supremum illis dicturos ac nouissima daturus man-
 data: animo constituimus & arbitramur. longe ta-
 men secus: res interdum se habet. Enimuero multi
 in regione ignota apud exteros diem claudunt ex-
 tremum: nullo amicorum subsidio leuati. Alij iter
 aliquo carpentes / media in via nulloque contacti do-
 micilio / mortem obeunt sub dio: destituti prorsus
 omni solatio / notorumque sodalitia. vt vix habeatur:
 qui corpora eorum emortua condat sepulchro. Alij
 tempestuosum sulcantes mare: naufragio intereunt.
 Nonnulli fluuium nauigantes: fracta nauis fluctibus
 absorbentur. Aliqui nemora alta petentes & iustra
 ferarum: aut a sicarijs obtruncantur / aut a feris absum-
 untur. vt miseranda omnino sit humanae vitae tra-
 gedia & fors. Vbi que siquidem mors insidiatur ho-
 minibus & suos tendit laqueos: quod & beatus Ber-
 nardus ita perhibet. Certum est homo que morieris.
Bernardus. Sed incertum: quando / quomodo / aut vbi: quoni-
 am mors ipsa te vbi que expectat. Tu quoque si sapiens
 fueris: vbi que ea expectabis. Hec plane sapienter atque

vtiliter monet Bernardus. Quo præterea genere mor-
 tis hanc claudemus vitam : quis certo prædicere aut
 coniectare possit? Nemo certe est / qui non speret se
 ad prouectam vsq; ætatem aut etiam decrepitam vi-
 cturum : & demum defectis senio viribus / naturali
 maturaq; morte dissoluendum. Sed q̄ plurimi ea spe
 decidunt : atq; fraudantur. Nempe hic moerore ani-
 mi & ægritudine concepta : tædio confectus ante
 suam diem extinguitur. Ille atra bili exagitatus / &
 graui commotus ira : in ætate adhuc integra mortem
 oppetit. Hic ferro interit : ille veneno. Hic præcipi-
 tio perit : ille furca & laqueo. Hunc interimitt cra-
 pula : illum inedia. Deniq; hunc consumit ignis : il-
 lum atra lues & pestilens aer. Hic terra obruitur :
 ille procellis aquarum. Sed quid in enumerandis
 varijs mortis generibus tempus incassum contero ?
 quæ omnia nec verbis consequi / nec oratione com-
 plecti valerem vnq;. ¶ Postremum incertus nobis
 est & status animi / in quo euocabimur ab hoc no-
 stræ peregrinationis stadio : bonusne futurus sit / an
 malus. Et si quidem nostræ existimationi respon-
 derent omnia : nullus est qui non bonus deoq; ac-
 ceptus hinc decederet. quandoquidem confidunt
 vniuersi : se omnino purgatos peccatis & rite expia-
 tos / ex hac vita migraturos. Sed proh dolor com-
 plures suo destituuntur voto. Cum enim vitæ suæ
 emendationem in futuros annos diutius proroga-
 rint : vindex ira dei ad pœnitentiam longanimis-
 ter expectatos subito nonnunq; ferit interitu / neq;
 spacium eis permittit : salutari reconciliationis sa-
 cramentalis antidoto animarum suarum vulneribus
 in hora mortis medēdi. De quibus ait Ecclesiastes.
Etenim quia non profert cito cōtra malos sentētia :

Doctrina

- Ecclesi. 8.** absq̄ timore vllō filij hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo q̄ cēties facit malum / & per patientiam sustentatur : ego cognoui q̄ erit bonum timentibus deum / qui verentur faciem eius. Et beatus Iob : de eo qui distulit in seram commissa placula mortem / ait. Dedit ei deus locum pœnitentiæ : & ille abutitur eo in superbia. Paulus item graui increpatione / huiusmodi dei contēptorē insectatur : dicēs.
- Roma. 2.** Existimas autem hoc o homo : quia tu effugies iudicium dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras : quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor : thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei / qui reddet vnicuiq̄ secundum opera eius. Eorūdem etiam qui mala malis accumulāt spe longioris vitæ adducti / triste iudicium : in euangelio exprimitur sub typo atq̄ exemplo serui næquam / ob diuturnam aduentus domini sui dilationem audenter peccantis : atq̄ in ebrietatem / insolentiamq̄ proruentis / hoc verborum contextu. Q̄ si dixerit seruus ille in corde suo. moram facit dominus meus venire. & cœperit percutere seruos & ancillas / & edere & bibere & inebriari : veniet dominus serui illius in die quo non sperat / & hora qua nescit : & diuidet eum / partemq̄ eius cum infidelibus ponet. ¶ Cæterum contra hanc mortis incertitudinem / vnicum est remedium : frequens & quotidiana ad deum oratione sinat inopina morte atq̄ improuisa nos obuolui. vt cum propheta dicamus assidue domino. Notum fac michi domine finē meū : & numerū dierū meorū quis est / vt sciā quid desit mihi. Et rursum. Paucitatem dierū meorum nuncia michi. Non quidem :
- Psal. 38.**
- Psal. 101.**

q̄ sanctis istis comprecationibus postulemus a deo/
 cœlestis nūcij ministerio diē obitus nostri nobis an-
 nūciari: paulo ante q̄ veniat. Id enim & temerarium
 foret: & legi in euāgelio nobis præscriptæ contrariū.
 Sed a subitaneo mortis incurſu poscamus his preci-
 bus nos diuino indultu præseruari / & præcurrēte mor-
 bo quasi nuncio quodam naturæ: aduētus propinqui
 ipsius mortis præmoneri. Siquidē nobis prænūciatur
 propemodum finis noster: cū præcedente morbi mo-
 lestia / & paulatim fatifcente succumbentēq; natura/
 sentimus vitæ occasum & metā adesse in foribus. Est
 & alterum contra hanc mortis incertitudinem præ-
 sentaneū remedium & apprime vtile: ita quotidie vi-
 tam componere ac ducere / ac si mors ipsa iam iamq;
 foret nobis obeunda. atq; in eo vitæ statu assidue cō-
 sistere: in quo velimus deo animam nostram redde-
 re. Ita enim nunq̄ nos imparatos mors ipsa occupa-
 bit: cum quoq; momento vitę ad eā parati viuimus.
 Tunc eius laqueis minime inuoluemur incauti: cum
 ante præuisi fuerint & præcogniti. Frustra enim iaci- **Prouer. 1.**
 tur rete: ante oculos pēnatorū. & facile laqueos aucu-
 pis effugit auis: quę præuidit illorum insidias. Haud
 aliter si in omnē horam ad expectationē mortis ac-
 cincti præparatiq; viuimus: insperata & inexpectata
 nunq̄ nobis ingruet. quinimq; quādoq; occurre-
 rit: ad eā nos paratos & in procinctu cōstitutos offen-
 det. Et hac ratione atq; via: nunq̄ repētina mors nos
 corripiet. aut si repente imminēat: nō officiet nobis
 quicq; subitus illius incurſus. q̄ longe ante præuideri-
 mus eam: atq; ad eius insultum præmuniti semper &
 apparati vixerimus. Sic sane s̄ctus Hilarion) eremi- **Hilarion.**
 ta celeberrimus: victitasse legitur. qui cum annos de-
 cem & octo natus in deserto Palestinæ vitā anachor-

Doctrina

riticā in summa austeritate duceret: venerunt ad eius cellam (vt scribit de eo Hieronymus) semel latrones: eumq; quasi per iocum interrogarunt. Quid faceres: si latrones ad te venirent? Quibus ille respondit. Nudus: latrones non timet. Et illi. certe (aiunt) occidi potes. Possum/inquit: possum. & ideo latrones non timeo: quia mori paratus sum. Felix profecto/ & terq; quaterq; beatus: qui mente sibi cōscia veri/cum Hilarione dicere potest. latrones non timeo/ immo mortem (quæ vitam corporis deprædatur) nō timeo: quia mori paratus sum.

¶ Præcipuam bene moriendi doctrinam esse/ bonæ & honestę vitæ studiū: q; eam plerunq; bona mors consequatur. Cap. IX.



Is ad introductionem quandam dicendorum præmissis/q; præparamēta quædam sunt animorum ad ipsū mortis congressum equanimiter tolerādum: iam ipsa moriendi doctrina/quam titulus operis præsentis pollicetur/determinatius est exhibēda. Cuius illud in primis præcipuū & memorabile habeatur documentum: vnicam & singularem bene moriendi doctrinam esse/bene beatę viuere/virtutem & iustitiam in vita studiose colere/deum timere & mandata eius seruare. Hæc sola propemodum sufficit regula/ad pie & sancte moriendum: honestam inquam agere vitam/& probos amplecti mores / atq; dum tempus habetur: operari bonum. Quoniam quotidiano fere exemplo comperitum agnouimus / q; qualis fuerit hominis vita: talis consequatur & eius mors. Vt si bona fuerit/& secundum dei præcepta inculcate tráfacta vita: beata atq;

tranquilla eam comitatur obdormitio in domino.

Sin vero scelerata & grauibus contaminata crimini-
bus antecesserit vita: tristis, horrenda, & miserabilis
illam subsequi fere solet mors. Quod & Augustinus
testatur in primo libro de ciuitate dei: dicens. Mala

Augustinus.

mors putanda non est: quam bona vita præcessit.
Non enim facit malam mortem: quod sequitur mor-
tem. Et idem in libro de doctrina Christiana. Non

potest male mori: qui bene vixerit. & vix bene mori-
tur: qui male vixit. Enimvero viri probi & sancti
qui iustitiæ opera diligenter exercuerunt, & sub iudi-
ce deo atq; in eius oculis candide incontaminatèq;

vixerunt: cum mortis adesse sentiunt viciniam / in-
terna a deo consolatiōe confortati / læti & alacres in
eius properant occursum. atq; venientem obuiis (vt
aiunt) excipiunt vlnis: vt beneficam / vt liberatricem
suam a corpore & eius vinculis / ab hac valle lachry-

marum / ab hoc miseriarum ergastulo. Eadem quo-
q; multis ante vocatam voris / & optatam sæpius: dul-
citer salutant / amicisq; compellant verbis. q; eius be-
neficio confidunt se ab hoc seculo nequam statim eri-

piendos: atq; ad vitam æternā & immarcessibilem
gloriā protinus transituros. Sane in primo Tuscula-

norum libro meminit Cicero / q; cygni providen-
tes quid in morte boni sit: cum cantu & voluptate
moriuntur. sicq; omnibus & bonis & doctis esse fa-
ciendum tradit. Cui consonat epigrammatum scri-

Cicero.

ptor: hoc carmine.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua:

Cantator cygnus funeris ipse sui.

Martialis.

Eandem innuit sententiā & Ouidius: his versibus.

Sic vbi fata vocant: vdis abiectus in herbis

Ouidius.

Ad vada Meandri concinit albus holor.

e iiii

Doctrina

- Hunc cygnorum morem imitantes iusti probataeque vitae viri / qui niueum illorum candorem puritate mentis nitoremque bonae famae referre / exprimereque semper studuerunt: cum sentiunt mortem ipsam ferme ad ianuam corporis assistere / propinquaque sua funera percipiunt: leti & gestientes gaudio / psallunt deo in cordibus suis. & ore (quantum datur) dulce depromunt canticum exultabundi: quod ad coelestes nuptias inuitati / regni caelorum ianuam sibi nouerint aperiri. Nonne suauem modulationem edidit sanctus patriarcha
- Gene. 49.** Iacob: cum supremum trahens spiritum singulis filiis suis benedixit? & interno mentis oculo futura prospiciens: sacratissima redemptionis humanae mysteria ore prophético deprompsit? Nonne & Moyses famulus dei iam morti propinquus / etiam dulce concinuit canticum: altis mysterijs refertissimum? & singulis
- Deute. 33.** Israelitici populi tribubus benedicens: quae illis superuentura erant superno lumine illustratus longe antevaticinatus est? Quid referam sanctos patres / post nouae legis coruscationem virtute & meritis insignes: in ipsa mortis hora miro gestisse gaudio? quod quasi portum tranquillum prospectantes: iam nauem suam incolumem erant subducturi in stationis aeternae quietem. Hosque flexis in terra genibus / illos palmis ad sidera sublatis: inter verba orationis spiritum efflasse? Quibus nec angelicorum spirituum defuerunt sub ipsum vitae exitum officia / non claritas caelestis ipsos circumfulgens: non harmonica modulatio / astatibus interdum audita / non denique suauia supernae fragrantiae spiracula. Vt ipsorum exemplo plane cognoscamus: quod preciosa est in conspectu domini: mors sanctorum eius. Certe hi sunt holores nostri / puritate vitae candidi: deliciarum huius mundi aquis supernatan-
- Psal. 115.**

tes/non tamen immerſi : & erecto in cœlum animo/
 quaſi extento longius collo : in ſublimia glorioſæ
 illius ciuitatis atria ſemper intenti . Qui cum im-
 pendentem cernerēt mortem : tranſacta in lachrymis
 ſeminatione/meſſem ac manipulos ſuos cum gaudio
 collecturi/mercedemq; ſuorū laborum ac glorioſum
 fructum percepturi : dulce deo concinere melos & læ-
 ta reſonare cantica modulatiſſima voce ſunt auditi.
 Quorum fœlicem ex hoc mundo tranſitum & ſan-
 ctam reſolutionem / qui in hitorijs de eorum vita &
 obitu conſcriptis legunt : vix pias continere lachry-
 mas poſſunt & ab illis vltro erumpentibus tempera-
 re. q; miſerationem dei magnam in ſuos cultores eo
 argumento plane cognoscant : & magno afficiantur
 deſiderio/vt ſimilis illis cōtingat poſt decurſum mor-
 talis vitæ ſtadiū obdormitio/beatos ſe fore/fœlicem
 q; haud iniuria rati : ſi tali fine & exitu ſuos claudere
 dies poſſint. Nemo ſane eſt illorum qui hæc pia vi-
 tæ ſanctorum monumenta euoluunt : quin cum Ba-
 laam propheta ex intimis præcordijs illud a deo pe-
 tat impēſius. Moriatur anima mea morte iuſtorū : & Nume. 23.
 fiāt nouiſſima mea horum ſimilia. Quid enim ſalu-
 brius optare poſſent/quidve vtilius expetere a deo : q̄
 conſimilem ſanctorum quieti mortem/ & ſanctam &
 glorioſam? Contra vero qui facinoroſam duxerunt
 vitam / grauibusq; inquinatā ſcleribus : qui nec deū
 nec homines ſunt veriti / qui laxatis habenis poſt ſu-
 as abierūt concupiſcētias/q̄ diu hoc in mundo ſunt di-
 uerſati : exhorreſcunt mortis aduentum & miſeri tre-
 pidant. tanq̄ rapiēdi ad ineluctabile diſtriſti iudicis
 tribunal : & ſuorum operum ſtipendia percepturi/de
 quibus ait Apoſtolus. Stipēdia peccati : mors. Nem Roma. 6.
 pe ſuorum conſcij ſclerum / attonitacq; mente cogi-

Doctrina

tātes malorum suorum grauitatem & multitudinē: recusant ex hac luce abitionem/subterfugiunt dissolutionem a corpore. q̄ trahendi videantur ad cōspectum iudicis seueri: sententiam dānationis in eos laturi. Perinde atq; parricidij reus aut latrocinij cū horrendo clausus ergastulo & vinculis cōstrictus cognoscit capitis sui causam agi/ & magistratus de extremo suo supplicio captare consilium: totus contremiscit. & maiore adhuc premitur angore animi: cum carcere educitur vt iudicum sistatur conspectui / audiatq; coram proferri in caput suum sententiā: q̄ furcē debeat appendi/ aut obruncari gladio. Q̄ tristis/ q̄ inuitus/ q̄ trepidus ad tribunal iudiciarium truditur: vt sui capitis audiat dānationem. q̄ vellet perpetuo manere in carcere: quo tribunal illud effugeret. ad quod vbi se euocari intelligit: tremore concutitur/ pallore suffunditur. At longe miserabilior est cōditio peccatoris sibi male conscij/ cum ingruit horrida mors / & corporis carcere animam inuitā eximit. Vna siquidē ex parte/ sua eum peccata consternatum reddūt: nec non diuinā in se sententiā trepida expectatio/ & horror ingens. Alia vero: vehemens ad hęc secularia bona affectus/ ad opes/ ad honores/ ad voluptates: miseris excruciat modis. q̄ ea quæ tantopere amauerat/ quæq; toto fuerat animo prosecutus: dimittere cogatur/ & ab illis diuelli: in quibus suam collocauerat felicitatem. Q̄ dura (putatis) est illa separatio/ q̄ molestissima seiunctio ab ijs: quæ sola semper expetiuerat / quæ coluerat vnice/ quæ singulariter amplexatus fuerat? Quis (oro) in tanta rerum conflictatione iam moribundo peccatori est animus: quæ dei memoria/ aut salutis propriæ cura? Vere de huiusmodi conditionis viro: dicit Propheta in psalmo ad deum. **Quoniam**

Psal. 6.

nō est in morte: qui memor sit tui. Quomodo enim
 dei memor esset in tanta rerum angustia: qui dū vitā
 sospes ageret/illius semper fuit inmemor? Et nō mo-
 do dei: sed & sui ipsius obliuiscit miser peccator/in
 illa extrema anxietate. quoniā (vt præclare ait beatus
 Augustinus) hac animaduersione percutitur pecca- **Augustinus**
 tor/vt cū moritur obliuiscatur sui: qui dī uiueret obli-
 tus est dei. Vere iustus est dominus: & rectū iudiciū **Psal. 118.**
 eius. Domini sui cōtēptor: diuti⁹ vixit feruus nequā.
 Quid ergo iusti⁹: q̄ ipsū in extremo angore a domi-
 no suo deserit? Vnde cognoscitur verū omnino esse il-
 lud prophete dictum in psalmo. Mors peccatorum: **Psal. 33.**
 pessima. Quod etiam nonnunq̄ ostensum est: mani-
 festis ita morientium exemplis. Quorū hi sub ipsum
 vitæ exitum se vidisse horrendum draconem contes-
 tati sunt: cui ad deuorandum diuino iudicio fue-
 runt permitti atq; relictī. Illi inducias vsq; ad proxi-
 mam lucem matutinam sibi indulgeri: anhelosudo-
 re estuantes proclamarunt. deinde horariam vitę mo-
 ram enixius postularunt: quam tamen non obtinue-
 runt. Alij terribiles Aethiopes ad se venisse/ & atris
 literis cōscripta totius vitæ suæ flagitia in libro mon-
 strasse: demū acutissimis gladijs se transfixisse astan-
 tibus enarrarunt. Rursum aliqui cum horrore legun-
 tur presentibus retulisse: q̄ sicut beatus Stephanus **Actu. 7.**
 vidit coelos apertos (quos deinde introiuit) & Ihe-
 sum stantem a dextris virtutis dei. ita se vidisse infer-
 num lacum apertum: & Iudam & Caipham/ & Pi-
 latum in medio eius/ & alios etiam crucifixores do-
 mini simul cum eis: & sibi ipsis non longe ab eis lo-
 cum esse paratum. Nonnulla horum/ ex beato Gre-
 gorio & Beda de gestis Anglorum deprompta: com-
 memorat eximius & præclarus Author Mapheus

Doctrina

9
 Maphæus
 Vegius.

Vegius in primo capite sexti libri / operis sui insignis /
 & singularis / de perseverantia religionis inscripti. In
 quo etiã capite permulta adducit annotatu dignissi-
 ma: ad rem nostram propositam facientia. Certe hæc
 omnia iam paucis constricta / & cetera id genus homi-
 num visa in ipso mortis articulo: non ad illorum qui
 bus illa monstrata sunt salutẽ ostendi permisit deus:
 cum æternæ dånationi censeantur (quantum cõiectas
 re fas est) fuisse addicti / sed ad nostram vtilitatem so-
 lum. vt aliorum periculo & perditione admoniti: cõ-
 tremore nostram salutem operemur. Nõnulla etiam

Gregorius.

huiusce generis exempla / tam ad foelicem bonorum
 q̃ ad tristem malorum exitum spectantia: in Grego-
 rianis leguntur homilijs. quas vir ille sanctus / sacra
 eruditioẽ eximius / mira pietate insignis & sancto dei
 timore plenus: pro more suo plerũq; memorabilibus
 conclusit exemplis / ad excitandos audientiũ animos
 in dei timorem & amorem magnopere facientibus.
 vt in homilia euãgelij de patrefamilias qui cõduxit
 operarios in vineã suam / de eo qui exijt seminare se-
 men suũ: quod in diuersa cecidit loca / de diuite epu-
 lone & Lazaro mēdico / de homine quodã qui fecit
 cenã magnã: & vocauit multos / deniq; de homine
 rege qui fecit nuptias filio suo / & in nonnullis alijs.
 ¶ At vero cum miserrimum sit & horrēdum in illa
 extrema vitæ hora his premi angustijs / eaq; torqueri
 anxietate / qua iã dixim⁹ sceleratos & prauitati assue-
 tos in ipso mortis angi momēto: summo studio eniti
 debent omnes ne prauæ assuescant vitę / neve malitiã
 suam ad ipsum vsq; sepulchrum persequantur. Si cõ-
 tractę sunt sordes & malorum contagia: eluant ea &
 expient salutari pœnitentia / dum tempus & hora fi-
 nüt. respiscant a pristina morum corruptela: cũ da-

tur opportunitas. virtuti colendæ se affuefaciāt: iustitiam sibi continuo vsu familiarem reddant & domesticam. deniq; cum tempus habent/operētur bonum: vt deiloquus admonet Paulus. Ad quod & Ecclesia Gala. 6. stes vnunquēq; hortatur. Quodcunq; (inquit) facere Eccēs. 9. potest manus tua: instāter operare. quia nec opus/nec ratio/nec sapientia/nec scientia/erunt apud inferos: quō tu properas. Ecclesiasticus etiam idem diligenter admonet: dicens. Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam nō est apud inferos inuenire cibū. Quibus monitis qui aures arrexerint/animunq; ad-mouerint: in extremo mortis agone non quatientur tremore/non percellentur metu/nec formidine trepidabunt. sed diuino suffulti præsidio angelicoq; munimine circūuallati: faciliē & placidā persentiēt mortem/ anxietatis vacuā/horroris immunē/timoris expertem. qua pertrāsita: protinus euolabunt ad superna cœlestis Hierusalem habitacula.

U Testamenti ordinationē/ & peccatorū confessio-nem: opportune ac mature/anteq; inualescat letifer morbus/ esse faciendam. Cap. X.



Hoc quasi iacto nostri instituti fundamēto: reliqua deinceps superextruēda sunt. quorū id vnū sit q; cū adhuc integra est incolumitas/ illabefactaq; sanitas/ etiā longo ante morbum letiferū temporis intervallo: testamentum mature cōdendum est iis qui legare sua/ testariq; iure possunt. ne si ad extremum vsq; vitę momentū id differāt negociū: morte preoccupētur & intestati vita excedāt. quod incurię ac infamię notam illis inureret: & diffidiorum atq; contentionum materiam suggereret hęc

Doctrina

redibus/ob dispartitionem bonorū nulla certa testamenti lege definitam. Ad hæc. cum læguore mortifero premitur corpus/ & mens doloribus vicinæ mortis grauata obnubilatur: quæ tunc ratio/ quæve prudentia viget in moribundo iam homine/ vt sua recte disponat & cuiq; superstitum suam assignet portionē? Vsq; adeo enim molestia morbi & propinqui a corpore exitus hebetatur anima: vt constituendo testamento nequaquã valeat intendere vires. Cum vero adhuc mens sana cōsistit in corpore sano: expeditissime peraguntur omnia ad testamenti rationem spectantia/ cum maturo consilio/ incolumiq; & vegeto animi vigore. Præterea si quis alienum æs conflauerit/ obertulq; cuiq; fuerit: id aperte explicet moriturus/ dissolnendaq; debita curet. Consimili ratione si quod alterius est quispiam detineat/ aut depositum ab aliquo suæ creditum fidei asseruet: quod alienum est restituat/ & suæ custodiæ comēdatum reddat ei qui deposuerat/ anteq̄ hinc abeat. Et ita ante mortem cuiq; suū reddatur: vt post obitum nō relinquatur alicui iusta de mortuo conquerendi ratio / neve lites et forenses strepitus aut graua dispendia exinde oboriantur.

Spiridon. Vnde memorabile est illud exemplū: quod de Spiridone Cyprio episcopo egregiæ sanctitatis viro narrat Eusebius Cæsariensis in historia ecclesiastica. Cuius filia virgini Hirene/ cum quidam depositum cōmendasset: illa acceptum terræ altius infodit / nullo rei illius conscio. Post obitum eiusdem virginis/ venit qui depositum tradiderat filia: & illud a patre negocij illius inscio repetiuit. Rem pater admirat⁹ / perquisiuit tota domo quod poscebatur: nec vsquam loci inuenit. Perstitit instantius ille qui commendauerat filia depositum: & lachrymas precibus adiecit

exposcens sibi reddi commendatum. alioqui vitæ
 suæ vim se illaturum asseuerabat. Permotus eius ver-
 bis & fletibus senex: ad filiæ suæ sepulchrum concu-
 tus properauit / eamq; vocauit ex nomine. Tunc illa
 de sepulchro respondēs: quid vis ait pater? Cui Spi-
 ridon. Commendatum illius (nominatim expresso
 viro) vbi reposuisti? At illa locum indicans: illic (in-
 quit) inuenies defossum. Regressus domū pater / rem-
 ficut filia de sepulchro responderat / inuentam: tradidit
 reposcenti. Ecce quantum periculū & rei propriæ
amittendæ & forsitan animæ perdedē imminēbat ei
 qui depositam commēdauerat: ob non redditum il-
 lud / aut saltem non detectum ante mortem. Et eue-
 nisset quidem illud: nisi vox e sepulchro reddita re-
 medium adhibuisset. Sed quoniam ea sanctitate nō
 pollent nunc homines: qua venerabilis ille senex. vt
 ipsis defunctis interrogantibus ita reddatur ad in-
 terrogata ex ipso tumulo / a mortuis responsio: satis
 us est suis reb⁹ cum adhuc vita manet ita prospicere /
 ne talis vnq; ingruat necessitas. ¶ In ipso vero mor-
 bi letalis principio / atēq; ingrauescat: accersito sacer-
 doti peccata sua confiteatur & detegat moriturus. vt
 eo remedio contractis sordibus expiet animam inqui-
 natam / diluat iniustas illi maculas: seq; deo reconcili-
 liet. neq; in supremā vitæ horam differat id negoci-
 um / quoniam extorta tunc per vim potius confessio /
 q̄ spontanea censeretur. neq; ob graues corporis dolo-
 res quibus etiam anima afficitur / mortisq; propinqui-
 tatem: tam integre / tam prompte tam expedite cons-
 fessionem ipsam exercere potest ægrotans: sicut in
 ipso morbi initio / cum nondum corpus decumbit eu-
 ctum graui languore. cum etiam necdum mens & ra-
 tio recta ob condolentiā participationemq; dolorum

Doctrina

hebecit ac obtūditur. Quod & Ecclesiasticus subin-
sinuat iniquiens. Ante mortē cōfiteri. A mortuo qua-
Ecclesi. 17. si nichil/perit cōfessio. Confiteberis viuens : viuus
& sanus confiteberis. Optimum sane : & salutare do-
cumentum . Quid autem discriminis est (oro) inter
mortuum & præmortuum iam hominem : extrema
patientem/ & vltima trahentē suspiria? Quæ discus-
sionis (quæso) ante actæ vitæ diligentia/ & examina-
tionis præteritorum operum studiū / tum poterit ad-
hiberi: cum vix suæ mētis compos est egrotus/ & im-
mani dolore morbi degrauiatur? Quæ itidem saluta-
ris cōfessio/ quæ integra/ quæ sincera tum fiet: cum lingua
palpitans & faucibus hæres vix efformare verba/ quæ
intelligi auribusque excipi queāt: aut proferre valebit?
Quocirca dānanda summopere illorum est negligē-
tia atque incuria: qui etiam graui morbo decumbētes
quæ diutissime possunt prorogāt suorum peccatorum
confessionem. & interdū ita procrastinant: vt denique
nulla peccatorū facta expiatione ac deteptione/ rapiā-
tur a morte. Alij cum morbo graui deinde cōua-
luerunt: id vnum iactitant/ & tanquæ de amplo benefi-
cio suscepto gratias agere se deo prædicāt/ quæ necdum
fuerint in ea morbi molestia ad confessionem sacer-
doti faciendam adacti. tanquæ non esset ea reconcilia-
tio vnquæ tentanda ab ægroto: nisi iam actum esset de
eius vita/ atque conclamatum. aut putantes id timidi-
tati ascribendum/ si sacerdotem accirent cui suā des-
tegant conscientiam: quasi mortem timerent/ & vlti-
mum suæ vitæ casum (ob susceptū illud antidotū)
iam iamque esse superuenturum. Porro alios inuenias
quibus graui languore depressis cum suggerunt ami-
ci faciendam esse peccatorum confessionē: adeo gra-
uate & moleste illud ferūt/ vt protinus autumēt iam

desperatum esse de salute corporis eorum . vocēq; illam confessionis faciundæ admonitoriam ita accipiunt: atq; si quis propheticam illam sententiā eis denunciaret. Dispone domui tuæ: quia morieris & non viues . cum tamē e diuerso ipsa peccatorum expiatio sacerdoti rite facta: potius cōferat ad corporis etiam temporariam salutem. quandoquidem interdū morbi hominibus infliguntur a deo: in punitionem peccatorum ante perpetratorum . & ergo abrais animo peccatis: tolluntur plerunq; & morbi/ob illa irrogati. Vt paralytico prius ait domin⁹ apud Mattheum. Fili remittitur tibi peccata tua. deinde subiecit. Surge tolle lectum tuum: & vade in domum tuam. ad id ipsum signandum q; peccata causam præstiterint illius quo laborabat morbi. proinde abstergēda ante fuisse peccata: q̄ morb⁹ propelleretur Cōsimili quoq; ratione/languido apud probaticam piscinā post duo de quadraginta annorum infirmitatem a cœlesti medico solo verbi imperio sanitati restituto: haud multo post ait dominus . Vade/ & amplius noli peccare: ne deterius tibi contingat. eo dicto significans ipsum tam diuturnam incurrisse aduersam valitudinem ob peccata quæ ante admiserat. Quare deteris pia & religiosa expiatione peccatis animæ: plerunq; integra corporis sanitas instauratur. Confirmat idem Innocentius tertius in concilio generali. cap. cum infirmitas. titulo de pœnitētijs et remissionibus/ hāc sanctionem decernens. Cum infirmitas corporalis nonnunq; ex peccato proueniat: dicente domino/ languido que sanauerat. Vade & āplius noli peccare: ne deterius aliquid tibi contingat. præsentī decreto statuimus & districte præcipimus medicis corporum/ vt cum eos ad infirmos vocari contigerit: ipsos ante omnia moneāt

4. Reg. 20.

Matth. 9.

Ioannis. 5.

Innocētius
tertius.

Doctrina

et inducant vt medicos aduocēt animarum. vt postq̄ fuerit infirmo de spirituali salute prouisum: ad corporalis medicinæ remediū salubrius procedatur. cū causa cessante: cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto: q̄ quidā in egritudinis leto iacentes cū eis a medicis suaderetur vt de animarum salute disponāt/in desperationis articulum incidunt: vnde facilius mortis periculum incurrūt. Hæc Innocentius. Ex quibus liquido constat: q̄ periculosa sit dilatio procurādæ salutis animæ ad supremum vsq̄ vitæ punctum/cum iam nulla superest spes euadendæ mortis. vtpote q̄ interdum præbeat occasionem egrito iam viribus defecto incidendi in laqueū extreme desperationis. Q̄ si huiusmodi admonitio atq̄ inductio ad sacramentum confessionis mature adhibendum/fuisset in ipso morbi principio proposta egrito/adhuc corpore satis & animo/valenti: & iubens eam fuisset amplexatus & opere compleisset. Vnde mente exhilaratus post detectionē integram peccatorum/& interiore perfusus gaudio atq̄ alacritate ob exonerationē malorum: multo facilius cōualuisset atq̄ sanitatem pristinam recuperasset. Verum ea est hominum ad animę curā negligentia: vt cum primū caput eis dolet aut latus/aliove tentātur morbo corporis: protin⁹ aduocāt medicū/& opportunū adhibēt remediū. At cum anima grauibus premitur peccatis/& multis vulneribus iacet faucia: q̄ tardissime possunt admouent his plagis medelam / & lente admodū accersunt sacerdotē qui medicā illis opem impēdat. quinimmo iterum atq̄ iterū ad id aliorum suafu inducti: vix recte monentibus tandem obtēperant. vicinæ mortis metu magis impulsī ad faciendā peccatorū suorum confessionem: q̄ amore & studio

curandæ suæ salutis. Vt si certum haberent & exploratum/se eo (quo semianimes laborant) morbo non interituros: nequaquã tũc sacerdoti suę animæ vulnera detegerēt/ sed in alia adhuc tempora rem ipsam prorogarent. Hanc autem miserandam humani cordis incuriam atq; ignauiam: merito carpit & notat Horatius/cum ait.

Nam cur

Horatius.

Quæ lædunt oculos festinas demere: si quod
Est animum/differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti/qui cœpit:habet.sapere aude/
Incipe.viuendi qui recte/prorogat horam:
Rusticus expectat dum defluat annis.at ille
Labitur:& labetur in omne volubilis æuum.

Neq; in annũ solũmodo differtur animi curãdi tempus a plerisq; sed & in quatuor & interdũ in quinque annos & amplius/si non perurgeantur stimulis & calcaribus morborũ mortẽ minitantiũ. Sed prohdolor nõnullos ita vitę emẽdationẽ differentes & expurgationẽ peccatorũ : repẽtina mors occupat. Et quoniã cum adest eis facultas/nolũt cõsulere animarũ medicos: sepe numero cũ id volũt/amplius nõ possunt/pręclusa iã voce ex subito mortis incursu . Igitur hodie potius sibi pspicere debẽt lægvidi/vt animę suę medeãtur q̃ id negociũ in crastinũ proferre diẽ . quẽadmodum ait beatus Gregorius in expositiõẽ euãgelij quod in sabbato post Pascha legitur. Notate (inquit) charissimi fratres: notate quod dicitur / festinantes.

Gregorius.

Mandata dei/mysteria redemptoris/cœlestis patrię gaudia/cum festinatione cognoscite:& pcepta vitę cũ festinatione implere curate. Quia enim adhuc hodie licet bene agere: scimus.vtrũ cras liceat: ignoramus. Hęc Gregorius. Maturandum etiam esse bonum opus sine protelatione: ita monet Ouidius.

f ij

Doctrina

Ouidius. Sed propera: nec te venturas differ in horas.

Qui non est hodie: cras minus aptus erit.

Et Lucanus idem suadet hoc carmine.

Lucanus. Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Demum Ecclesiasticus id ipsum salubriter monet dicens. Non tardes conuerti ad dominum: & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius: et in tempore vindictæ disperdet te.

¶ Sacramentum eucharistiæ ab ægrotante tempeſtine ſuſcipiendum eſſe / & vnctionem extremam: anteq̃ vox ipſa & ratio mentis elanguida laboſcat.

Cap. XI.



Xpurgato ab omni ſanie peccati animo per veram & integrā peccatorum confessionem / ſacerdoti rite factam: ægrotus auguſtiſſimū eucharistię ſacramentū obnixē ſibi deſerri petat / reuerenterq̃ & cū veneratione debita ſuſcipiat: cū adhuc mens & ratio viget incolumis / cum necdū corpus morbo fractum defatiſcit / neq̃ contraxit malam aliquam habitudinem: vt ſtomachi intemperie / aut nauſeę ſtadium / aliamve debilitatem: ob quam ſacrę communionis eſſe particeps non poſſet. Quāto enim integrior & vegetior fuerit mentis ſtatus & habitus / quantoq̃ valentior ad diſcretionē ratio / nec dū obruta mole ingraueſcentis morbi: tanto ſyncerior erit animi affectus / ad hoc ſalutare viaticū digne ſumendum. tanto itidem intentior mentis ardor / & feruentior flamma pietatis ac religionis: ad id animę ferculū prædulce / ad id eduliū ſupercęleſte recte percipiendum. Ad quā quidē perceptionē / poſtq̃ pro ſuo ceptu & modo ſe preparauerit ægrotus. vbi corā con-

spicit delatum ad se corpus dominicum / & sanctissimum eucharistię mysterium: toto corde in deum effuso / hęc pie meditetur & proferat. Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum : vt venias dominus ad seruum inutilem / rex ad militem transfugam / creator ad creaturam tibi rebellem / verus deus ad hominem peccatis obsitum & sordidatum. Sed tātum dic verbo: & sanabitur anima mea. Dixisti domine in ipsius mūdi exordio. fiat lux / & facta est lux. & de te scriptū est in psalmis. Quia ipse dixit & facta sūt: ipse mandauit & creata sunt. Dixisti etiam domine leproso. Volo: mundare. & statim mūdada est lepra eius. Dixisti domine & cæco. Respice / fides tua saluum te fecit: & confestim aperti sunt oculi eius. Deniq; dixisti languido / diuturno lāguore afflicto. Surge / tolle grabatum tuum & ambula. & protinus surrexit sanus: suumq; grabatum sustulit. Sic est omnipotēs sermo tuus domine: vt quodcunq; dixerit / illico cōpleatur. Ergo dic domine verbo vt sanetur anima mea a languore peccati: & continuo recipiet sanitatem. Tu certe verus es animarum medicus: qui pro tua benignitate ad me ægrotum peccatis nunc venire dignatus es. Sana ergo animam meam: quia peccaui tibi. Non sum vtiq; domine immemor tuę humanitatis atq; dignatiōis: qua domū Zachei principis publicanorū vltro subiisti / cupiditatesq; seculi huius & vincula auiditatis opum quibus ante fuerat compeditus: e uestigio dirupisti / ea hora id contestatus. Salus hodie domui huic facta est: eo q; ipse sit filius Abrahę. Venit enim filius hominis quærere: & saluum facere / quod perierat. Ita domine affer tuę pręsentia nunc salutem domui animę meę: quia tu vere es saluator mundi. Mę filiorum Abrahę nune

Doctrina

- ro ascribe: vt in placidum eius sinū post egressum ex
Psal. 118. hoc mundo recipi merear. Erraui toto vitæ meę de-
 cursu sicut ouis quæ periit: & abij post concupiscen-
 tias meas vanas. quære seruum tuum domine: & sal-
 uum me fac secundum magnam misericordiã tuam.
 Ecce domine coram tuæ maiestatis hic præsentis ocu-
 lis cõfiteor: q̃ tu es deus creator meus qui me forma-
 sti / animamq; ad imaginem & similitudinem tuam
 creatam michi indidisti. Tu es verus redẽptor meus/
 qui vt me perditum reparares acerbissimam in cruce
 mortem pro me pertulisti / sanguinemq; tuum precio-
 sum effudisti in meæ redemptionis precium. Tu etiã
 es iudex meus iustus et æquus: in cuius manus anima
 mea deueniet cum primum corpore fuerit exuta / suo-
 rũq; operum remunerationẽ te iudice percipiet. Ro-
 go igitur te domine per viscera misericordię tuæ / in
Psal. 102. quibus uisitasti nos oriens ex alto: non secundũ pec-
 cata mea facias michi / neq; secundum iniquitates me-
 as michi retribuas. sed omnem vitiorum meorum
Deutero. 4. scoriã & rubiginem abrade: quoniam ignis consu-
 mens es omnem peccati sordẽ & maculam. vt omni-
 no mūdatus & purgat⁹: tuo sistar tribunali. ¶ Memi-
 ni præterea sacrarum literarum monumētis esse tra-
Exo. 16. ditum / o deus omnipotens: q̃ populus Israeliticus to-
 to quadraginta annorum spacio quo perambulabat
 desertum / post transitum maris rubri: cœlesti mãna
 fuerit enutritus / tanq̃ annona quotidiana a deo ipsi in-
 dulta. eiufq; alimonia & esu / pertransito Iordane tã-
 dem peruenit ad terram lacte & melle manantẽ / suis
Iosue. 5. patribus repromissam. cuius vt primum fruges et fru-
 ctus in alimẽtum desumpsit: defecit illi mãna / q̃ am-
 plius ei non esset vsui nec necessaria. Ecce typum do-
Ioan. 6. mine & figuram nobis insinuãtem / q̃ tu verus es pa-

nis vitæ qui de cœlo descendisti : nobis in præsentis
 vitæ curriculo tua bonitate cōmunicatus. Tu viaticū
 es nostræ peregrinationis : quo reficimur & alimur
 quandiu in deserto huius mundi versamur & in hoc
 stadio decurrim⁹. Deduc igitur me domine per hanc
 sumptionem tui corporis / per hoc māna supercœle-
 ste : in terram viuētium / in regionem illam viuorum.
 cuius imaginem & speciem expressit terra illa Pale-
 stina : in hæreditatem filijs Israel data / rerum omniū
 abundans. vbi iam te non amplius panis obuelatum
 specie sensibiliq; tegmine obductum suscipiam : sed
 posito omni velamine / facie ad faciem te conspicer
 in gloria patris. Vbi pleno ore te sumam o summa
 dulcedo / o mira suauitas : cœlestes spiritus & omnes
 sanctos fœlicissima tui visione reficiens / nunq̄ tamen
 deficiens. Insuper & id in sacra regnorum historia cō-
 scriptum legitur / o pater optime : q̄ Helias propheta
 domini somno excussus panem subcineritium ad ca-
 put suum inuenit : angelico ministerio præparatum.
 quem vt cœlesti edoctus erat oraculo / māducauit : &
 ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta die-
 bus & quadraginta noctibus vsq; ad mōtē dei Oreb /
 & illic diuina cōsolatione confortatus est. Tu autē
 domine verus es panis & viuus / sub cinere nostrę mor-
 talitatis in ara crucis excoctus igne feruentissimę cha-
 ritatis & acerbissimę passionis : & nobis relictus in
 edulium & escā / toto nostræ peregrinationis spacio.
 Da igitur michi domine gratiam vt nūc digne te su-
 mam : tuocq; ductu & adiutorio / ac virtute panis istius
 subcineritij sed supercœlestis / perueniam vsq; ad
 montem tuum sanctum & sublimem : nubes transcen-
 dentem & alta cœlorum culmina / vbi reuelata fa-
 cie te merear intueri : tecq; laudare per omnia secul-
 a

Doctrina

la. O salutaris hostia / quæ cœli pandis ostium : bella premunt hostilia / da robur fer auxiliū . Vere salutaris & viuifica hostia : pro humano genere in altari crucis oblata . ad quam oculis benignæ acceptationis respexit dominus / sicut ad Abel & ad munera eius : quia

Gene. 4. sancta est / immaculata & incontaminata . Eandem quoque acceptam habuit pater cœlestis atque gratissimam / sicut ipso Noe post diluuium offerente holocaustū : deo odoratus est dominus odorē suauitatis .

Gene. 8. pollicitusque est se amplius non immisurum terræ inundationem aquarum . Longe verius domine & plenius es reconciliatio totius humani generis : cui prius infensus pater æternus / iam placatus est / mitigataque eius in homines ira . Idcirco vere cœli pandis ostiū . quoniam

occlusæ primorum parentum reatu fores regni cœlorum : per te salutarem hostiam referata / patefactæque sunt . Et romphea illa ignea quæ admota fuerat in custodiā viæ paradisi : tua virtute hebetata est ac dimota . Nunc o domine me bella premunt hostilia leonum rugientium : qui præparati sunt ad escam vt rapiant animam meam . Toto quidem vitæ meæ tempore / diuersa me prælia infestarunt nequitiarum spiritualium : variisque huiusmodi hostium conspectus me vexarunt . Sed nunc longe acrius instat hostes illi infensissimi / valētius vrgent / premunt instatius : quando & minus virium michi est ad contranitedum ipsorum insultibus / & minus spacij ac temporis superesse sibi vident ad me oppugnandum . Neque michi o domine vires suppetunt / neque adest potestas ad obsistendum bellis istis hostilibus . quoniam multo fortiores me sunt impugnatores mei / & potentiores : nisi feras laboranti suppetias / & dexteram tuam porrigas labanti . Ergo da robur o domine / & fer auxiliū michi : in

Gene. 3. Et romphea illa ignea quæ admota fuerat in custodiā viæ paradisi : tua virtute hebetata est ac dimota . Nunc o domine me bella premunt hostilia leonum rugientium : qui præparati sunt ad escam vt rapiant animam meam . Toto quidem vitæ meæ tempore / diuersa me prælia infestarunt nequitiarum spiritualium : variisque huiusmodi hostium conspectus me vexarunt . Sed nunc longe acrius instat hostes illi infensissimi / valētius vrgent / premunt instatius : quando & minus virium michi est ad contranitedum ipsorum insultibus / & minus spacij ac temporis superesse sibi vident ad me oppugnandum . Neque michi o domine vires suppetunt / neque adest potestas ad obsistendum bellis istis hostilibus . quoniam multo fortiores me sunt impugnatores mei / & potentiores : nisi feras laboranti suppetias / & dexteram tuam porrigas labanti . Ergo da robur o domine / & fer auxiliū michi : in

anxia necessitate constituto. Compesce ferociam ho-
 stium: contunde ac reprime illorum sæuitiam. Vt si- Exodi. 12.
 cut in domos eorum qui postes sanguine agni pascha-
 lis oblinerant / non potuit ingredi exterminator ad
 primogenitorum interitum: ita super me tuo munitū
 præsidio / tuicq; sacratissimi corporis virtute suffultum
 non præualeat inimicus / sed dissipetur & fugiat a fa-
 cie tua: more cæræ liquescentis ab ardore ignis. Et
 quemadmodum per agni paschalis immolationem
 sub ipsum ab Aegypto discessum liberatus est popu- Exodi. 12.
 lus tuus domine a dura Pharaonis tyrānide / & a for-
 nace ferrea Aegypti: ita sanctissimi tui corporis mu-
 nimine in extremo mortis & duro agone protegar ab
 hostili incurfu / & a faucibus prædonis animarū. Esto Psal. 55.
 michi domine turris fortitudinis a facie inimici: vt
 nichil proficiat in me inimicus / & filius iniquitatis
 non apponat nocere michi. ¶ Hæc vbi perorauerit /
 aut his non dissimilia: suscipiat cum bona fiducia / si-
 de / et spe egrotus dignissimū cōmuniōis sacramentū:
 plene confidens se illius protectione ab hoste mali-
 gno tutum fore / eiusdemq; directione ad æternam glo-
 riam peruenturum. Çæterum cum percipitur morbus
 ipse nulla medicorum arte curari posse / & tādē na-
 turam infirmitate deuictam cōstat certis indicijs de-
 clinare ad interitum: extremæ etiam vnctionis sacra-
 mentum tempestiue ministratur ægrotō / quādo nec-
 dum vis naturæ omnino prostrata morbo iacet: neq;
 interceptus est aut præclusus linguæ vsus. quoniam
 tunc infirmus maiore deuotionis affectu & integro-
 re animo potest sacram illam vnctionem suscipere: &
 exinde vberiore capere gratiæ fructū. Q; si ad vlti-
 mum vsq; fere vitæ momentum differatur illius san-
 ctæ vnctionis administratio: neq; mens ægroti tūc

Doctrina

recte valet intendere vires iam defectas illi sacro mysterio / neque tam prompte seipsam ad deum erigere. Ad hæc. periculum est non mediocre ob tantam dilationem / ne manibus inungentis sacerdotis intermoriatur ipse languidus: antequam sacrosanctæ illius perunctionis completum sit ministerium. Quod si fortasse contingeret: quod superest illius mysterij omitendum foret interueniente morte & prætermittendum / vt nonnulli sentiunt & non immerito. quoniam viuus tantum adhibenda sunt sacramenta ecclesiastica.

¶ Qui moriens / sine obmurmuratione in deum libenter & sponte accommodare se debet diuinæ voluntati: in perferenda subeundaque morte. Cap. XII.



A quoniam multo acrior quam in toto vitæ tempore instat hostis antiquus in ipso mortis articulo: ad subruendum hominem & rapiendam eius animam. tum quia ob morbi grauitatem & acerbos vicinæ mortis dolores / mens & ratio propemodum prostrata: minus habet virium ad obnitendum grauissimis eius insultibus. obrutaque mole agonis extremi: imbecillior redditur ad contrapugnandum. tum quia videt hostis noster suæ oppugnationis instare metam / & terminum esse propinquum: quo transacto amplius potestatem non habebit quippiam fraudis moliendi in illius morituri perniciem. quæ si tunc effugiat manus eius anima languidi & moribundi: nunquam deinceps eam poterit obtinere / aut retibus suis illaqueare. vt eo tempore locum habeat etiam illud beati Ioannis verbum. Væ (inquit Apocalypsis) terræ & mari / quia descendit

Apoca. 12.

.diabolus ad vos / habens iram magnam : sciens q̄
 modicum tēpus habet. Et idcirco omnes astus suos
 & nocendi artes tunc explicat / & exercet in ipsa mor-
 tis vicinia : omnesq̄ tendit laqueos / quibus animam
 mox a corpore exituram capiat. Tunc sæuior insur-
 git / horridioreq̄ rugitu dentibus infrendens leo : vt
 asportet prædam & deuoret animam cruento rictu.
 Idcirco validioribus opus est armis / & acutioribus
 telis / quibus instructus & præmunitus homo : extre-
 mum hoc prælium fortiter sustineat / & foeliciter
 conficiat. Quæ sane spiritualia militiae Christianæ
 arma : nunc pro viribus apparare connitentur. ¶ In
 primis itaq̄ suggerere solet hostis noster ipsi ægroto
 desiderium vitæ longioris : & grauem ingerere tristi-
 tiam / q̄ nūc relinquendum est præsentis vitæ munus
 & finiendus vsus / cum adhuc viridis & vegeta floret
 etas . nunc formę venustioris amittendus decor : cum
 vix bene pubescit / et prima lanugine malas obducit.
 nunc deniq̄ iuuenile robur / anteq̄ adolescat suumq̄
 attingat incrementum : morte conterendum . Q̄ si
 ad prouectiorem iam ætatem processerit qui decum-
 bit moriturus : obijcit illius menti aduersarius no-
 ster / necdum expletam esse suæ naturæ periodum.
 potuisse multos adhuc annos se superuiuere : si mor-
 te præoccupatus non fuisset. plærosq̄ septuagenariã
 aut octogenariã ætatē explere : quinimmo nonnullos
 inueniri / qui centesimū attingāt vitæ suę annū. Ita sa-
 ne Theophrastus moriens (teste in Tusculanis Cice-
 rone) accusasse naturā dicitur : q̄ cornicibus & ceruis
 diurnā / hominib⁹ autē (quib⁹ lōgior etas maxime
 ad discēdū cōferret) perq̄ exiguā dedisset vitā. Vnde
 in obmurmurationē cōtra diuinę volūtatis decretū :
 harum rerū cōsideratione inimicus noster languidū

Cicero.

Doctrina

inducere tentat. vt immitem deū & durum sibi incuset: q̄ tā celeriter iubeat ipsum hinc demigrare. atq̄ ita dei beneplacito reluctans atq̄ obnitens / inuitus moriatur: deoq̄ iniurias & cōtumeliosus. ¶ At contra hanc periculosam hostis suggestionem / oppositarum rerum consideratione muniendus est languentis animus: & ante omnia firmandus / vt diuinæ dispositioni obdurata fronte se non opponat / nec rebellis inueniatur. sed prompte illi & libere se submittat: libenter amplectens quicquid de seipso ordinauerit diuina illa prouidētia / quæ attingit a fine vsq̄ in finem fortiter & disponit omnia suauiter. Quinimmo gratias agat suo conditori & gubernatori deo: q̄ tātum sibi vitæ spacium indulserit / multis ante se alijs negatum. q̄ ad illam vsq̄ metam fila decurrētis vitæ produxerit deus atq̄ protraxerit: quam pleriq̄ non ualuerunt attingere / succiso prius vitæ ipsorum stamine. Voluat itidem animo nonnullos infantes in ipso vitæ limine ac introitu extingui: eandēq̄ horam habere natiuitatis & mortis. Alios puerilem vix exple re ætatem: aliquos in primo adolescentiæ flore / viridicq̄ iuuenta morte intercipi. Multos se cognouisse coætaneos & coæuos suos / sibiq̄ familiaritate aut sanguine coniunctos: qui iam pridem ex hac luce subtrahiti sunt. Longe mitius atq̄ benignius secū a deo factum esse: qui diuino indultu ad hoc vsq̄ æuum vitam traduxerit / & diuturniorē (q̄ sui gentiles / aut necessarii) viuēdi morā cœlesti munere obtinuerit: ad opera bona cumulatius exercēda / ad pœnitentiā etiā de peccatis cōmissis opportuni⁹ agēdā. Hęc siquidē diuina sunt beneficia: nō omnibus passim collata / & magna gratiarū actione digna. Secum præterea reputet egrotus / se multū insuper debere deo: q̄ nō fuerit

Sapient. 8

hinc repentino interitu abruptus / sed præcedente ali-
 quantisper languore quasi nuncio venturæ mortis le-
 uiter abductus: vt prævideri mors ipsa potuerit & præ-
 nosci. Idcirco magni beneficii loco id ducat: sibi
 datum esse temporis spacium ad disponendum do-
 mu suæ / ad ecclesiastica sacramenta ritu Christiano
 percipienda / ad animam suam deo commēdandam.
 Hæc si attentius considerauerit egrotus: ab omni in-
 deum demurmuratione mentem & linguam conti-
 nebit / & ad exoluendas diuinæ bonitati gratias toto
 animo erigetur. ¶ Nempe si ante annos pubertatis
 aut in primo illius ingressu / morte sustolli quēpiam
 contingat: hic materiam habet deum laudādi / q̄ ex
 hac ærumnosa vita eū tempestiue eripiat: anteq̄ blan-
 dimentis huius mūdi illiciatur ad flagitia & graua
 peccata. quæ fortasse incurreret: si diuturnior sibi es-
 set vita. nec incurreret modo: sed & in illis forsan mo-
 reretur & corpore & anima. Quod ita Sapiēs nō mi-
 nus præclare q̄ grauius comprobatur. Iustus (inquit) si **Sapient. 4.**
 morte preoccupatus fuerit: in refrigerio erit. Senes-
ctus enim venerabilis est: non diuturna / neq̄ annorū
numero computata. Cani autem sunt sensus homi-
 nis: & ætas senectutis / vita immaculata. Placens deo
 factus dilectus: & viuens inter peccatores translatus
 est. Raptus est / ne malitia mutaret intellectum eius:
 aut ne fictio deciperet animā illius. Fascinatio enim
 nugacitatis obscurat bona: & inconstantia concupi-
 scienciæ transuertit sine malitia. Cōsummatas in bre-
 ui: expleuit tēpora multa. Placita enim erat deo ani-
 ma illius: propter hoc properauit educere illum de
 medio iniquitatum. Hæc Sapiēs. Quæ vnumquē-
 q̄ in teneris adhuc annis aut adolescentiæ flosculo
 hinc a deo euocatū: consolari merito debent & con-

Doctrina

fortare. q̄ interdū correptior etatis mora cōtractiorq̄
vita: animæ salutaris est/ neq̄ illius saluti quicq̄ detra
hit. Quid obsecro sanctis innocentibus derogauit:

Matth. 2.

q̄ lactentes Christum non loquendo sed moriendo
confessi sunt? Quid item sacratissimæ virgini Agne
ti præiudicauit: q̄ decimo tertio etatis suæ anno mor
tem pertulit/ & vitam inuenit? Quid deinq̄ candi
dissimæ virgini Catharinæ obfuit: q̄ decimū octa
uum vitæ agens annum/ triumphato tyrāno / fœlici
martyrio cōsummata est? Nō enim refert (vt inquit

Seneca.

Seneca) q̄ diu vixeris: sed q̄ bene. Sin vero ad etatem
maiusculam vt adultā aut prouectiorē/ fuerit eius qui
lāguore & mortis telo premitur vita producta: tanto
magis obstringitur ad acceptum illud vitæ benefi
cium magna gratiarum actione prosequendum/ quā
to maiore ea ratione habuit opportunitatem vt pru
dentia insignis & virtute cōsummatus euaderet. Ni
chilo tamen fecius & succisionem vitæ & ablationem
imminētem habere gratam debet: quoniam pericu
losa est mundi huius habitatio/ & multis casibus ob
noxia. Si enim boni sumus: quotidie versamur in pe
riculo ne ea bonitate vitæ excidamus/ & prolabamur
in vitia. a quo lapsus discrimine mors ipsa nos libe
rat: redditq̄ securos. Sin peruerse viuim⁹/ productior
ætas adauget plerūq̄ nostra mala: nam alijs alia adij
cimus/ vt diei dies adiungitur, verūq̄ tunc est verbū

Augustinus

beati Augustini/ q̄ qui crescit ætate: crescit & iniqui
tate. At morte interueniente/ peccandi saltem finem
facimus: neq̄ amplius cum dierum decursu cremen
tum accipit iniquitas nostra. Demum quacūq̄ sit et
ate qui migraturus est breui ex hac vita: hanc emigra
tionem libēs debet amplecti/ quia ita deo visum est.
cuius voluntati obtemperare/ moremq̄ gerere debet

alacriter: & ad domini vocātis imperium promptus
 abire. Vt enim ex Cicerone in libro de senectute/iā Cicero.
 ante est adductum. Quod cuiq; temporis ad viuen-
 dum datur: eo debet contentus esse. Inutilis sane &
 rebellis est seruus: qui domino vocanti detrectat ob-
 sequi & assistere/qui vocat⁹ recusat illi occurrere/cau-
 saturq; multa: ob quæ accersentem dominū non acce-
 dat. Ecce vocat nos noster & omnium dominus: ad
 alterius vitæ statum. cur igitur illi reluctamur/ & cō-
 traite nitimur illius imperio: quod tamē velimus no-
 limus/tandē exequemur? Itaq; sponte faciamus quod
 etiam inuiti sumus facturi: & necessitatem ipsam in
 virtutem conuertamus/ampliore p̄mio donandi: si
 spontanei vita excesserimus. Commisit itidem no-
 bis dominus depositū (animam inquam corpori no-
 stro compactam) quod nūc repetit. cur tardamus igi-
 tur & cunctamur/aut cur refugimus repetenti redde-
 re depositū? Audiatur (obsecro) sanctus Cyprianus Cyprianus.
 in sermone de mortalitate: ita hanc nostrā deo rebel-
 lem voluntatem increpitans. Meminisse debemus/
 voluntatem nos non nostram sed dei facere debere:
 secundum q; nos deus quotidie iussit orare. Præpo: Matth. 6.
 sterum est igitur atq; peruersum/vt cum ipsius dei vo-
 luntatem fieri postulemus: quando euocat nos & ac-
 cersit de hoc mundo deus/non statim voluntatis eius
 imperio pareamus. Obnitimur ipsi & reluctamur/ &
 peruicacium more seruorum ad conspectum domi-
 ni cum tristitia & mœrore perducimur: exeun-
 tes istinc necessitatis vinculo non obsequio volun-
 tatis/ & volumus ab eo præmijs cœlestibus honora-
 ri: ad quem venimus inuiti. Quid ergo sedulo ro-
 gamus & petimus vt adueniat nobis regnum cœlo-
 rū: si captiuitas terrena nos delectat? Quid precibus

Doctrina

- frequenter iteratis rogamus & poscimus vt accelet dies regni : si maiora desideria & vota potiora sunt seruire istic diabolo / q̄ regnare cū Christo? Hæc Cy prianus. Exemplo igitur beati Iob / & cōmutatis pa- rum verbis / cum accimur a domino ex hac vita : dica mus. Si vitā de manu domini suscepimus : mortem etiam quare non sustineamus? Dominus dedit vitā : dominus vitam abstulit. sicut domino placuit : ita fa ctum est / sit nomen domini benedictum. Et ita non peccabimus labijs nostris : neq̄ stultum quid contra dominum loquemur. Subeat etiā animum nostrum cū sumus morituri / ipsa Ihesu Christi oratio ad pa- trem : quam imminente passionis hora in horto ha- buit semel / iterum ac tertio. Qui cum nostræ infirmi- tatis conditionem exprimens / petiisset a patre ipsum calicem passionis a se transferri : subiunxit semper. Veruntamen non sicut ego volo : sed sicut tu vis / & non mea voluntas sed tua fiat. Non venit certe do- minus noster facere voluntatem suam : sed volunta- tem eius qui miserat eum patris. Et nos ipsi dura cere- uice fronteq̄ peruicaci obnitemur diuinæ voluntati : & nostram illi præferemus? Quænam est hæc info- lentia & temeritas nostra / qui sic propriæ voluntatis sumus amatores : vt eam diuinæ voluntati præpone- re nō erubescamus nec dubitemus? Tātane nos ipsos iam moribundos tenet arrogancia & contumacia : vt diuinæ iussioni contraire ac obniti nō formidemus? Oramus quidem quotidie deum : & labijs obstrepi- mus. Fiat voluntas tua : sicut in cœlo & in terra. Ve- rum factis & operibus illi orationi / contradicimus : & dei voluntatem in nobis fieri recusamus. Non ita sane Beatus Martinus / & virtute & signis dū adhuc viueret clarissimus : factitasse legitur. Qui cum reso-
- Iob. 1.
- Matth. 26.
- Ioan. 6.
- Matthæi. 6.
- Sanctus Martinus.

lutionem sui corporis imminere / suis discipulis præ-
dixisset: omnesq; suos illo cōsternatos nūcio / & pro-
fusis lachrymis obnixè eum rogantes ne se desereret /
audiret: miserationis visceribus affluens / ita dominū
orasse legitur. Domine si adhuc populo tuo sum ne-
cessarius: non recuso laborem. at si parcis etati: bonū
est michi. fiat volūtas tua. Cuius exemplo / nec mor-
tem extimescentes nec vitam recusantes: abdicemus
voluntatem nostram / cum extrema vitæ venerit ho-
ra: nosq; diuinæ voluntati omnino submittamus.

¶ Patientiā summopere morienti esse necessa-
riam: ad leuiter perferendos corporis dolo-
res quibus torquetur. Cap. XIII.



Ecūdo loco obijcit antiquus ho-
stis languido iam ad mortē ten-
dēti: acerbos ac acres quibus ex-
cruciaturo dolores / caput inquam
grauiter torqueri / stomachū la-
borare diro cruciatu / latera ma-
le affici / cor ipsum vehementer
affligi: & deniq; nullam esse corporis partē quæ non
grauissima morbi molestia vexetur / vt a plāta pedis
vsq; ad verticem capitis non sit in eo sanitas. Insuper
ingentem tristitiā ingerere studet idem tentator ani-
mę egroti / corpori sic afflicto quasi naturali quodam
commercio condolenti: ægreq; ferēti / socium corpus
tantos immerito perferre dolores / quos intolerabiles
existimat ac iudicat. Hinc animum in indignatio-
nem concitare molitur & impatientiam: continuis
furoris stimulis eundem (modo sinatur) exagitans /
inducensq; ad euomendam in deum blasphemiam.
iniustū illum & immitē dicitans: qui tam miseris
excruciari modis patiaturo hominē nil tale merentē.

Esaię. i.

Doctrina

¶ Verum patientiæ clypeo ac tegmine muniendus est languentis animus/ & forti virtutis illius armatura suffulciendus: ne huiusmodi succumbat telis & incursibus inimici. quoniam vt Apostolis ipsis / ita & nobis omnibus/ Christi (vt nomen ipsum quo insignimur/ cum Christiani vocamur: indicat) etiam discipulis: dictum est ab ipso cœlestis disciplinæ magistro. In patientia vestra: possidebitis animas vestras. **Lucæ. 21.** Hæc vna est virtus / quæ securos nos reddat animarum nostrarum in regno cœlorum possessores: modo vt ignaui & vecordes milites/ nō abiiciamus eius clypeum. Et quod beatus Paulus Hebræis scripsit: nobis quoq; cum in omni vita/ tū in ipso mortis duello dictum putemus. Patientia vobis necessaria est. **Hebræ. 10.** Ad hanc autem eximiam virtutem: ita nos exhortatur Cyprianus in sermone de mortalitate. Sit licet rei familiaris amissio/ sit de infestantibus morbis asidua membrorum & cruenta vexatio/ sit de vxore/ de liberis / de excedentibus charis funebris & tristis auulsio: nō sint tibi scandala ista/ sed prælia. nec debilitent aut frangant Christiani fidem: sed potius ostendant in colluctatione virtutem. cum contemnenda sit omnis iniuria malorū præsentium: fiducia futurorum bonorum. Nisi præcesserit pugna: non potest esse victoria. Et cum fuerit in pugne congressione victoria: tunc datur vincentibus & corona. Nam gubernator in tempestate dinoscitur: in acie miles probatur. Delicata iactatio est: cum periculū nō est. Conflictatio in aduersis: probatio est virtutis. Arbor quæ alta radice fundata est: ventis incumbentibus non mouetur. Et naus quæ forti compage solidata est: pulsatur fluctibus/ nec foratur. Et quando area fruges terit: ventos grana fortia & robusta com-

temnūt/inanes paleę flatu portante rapiuntur. Sic &
 apostolus Paulus post naufragia / post flagella/post
 carnis & corporis multa & grauiā tormenta: non ve
 xari sed emēdari se dicit in aduersis. vt dñi grauius af
 fligitur: verius probaretur. Dat⁹ est michi (inquit) sti
 mulus carnis meę/angelus sathanę: qui me colaphi
 zet/vt non extollar. Propter quod ter dominum ro= 2. Coria. 12.
 gavi: vt discederet a me. & dixit michi. Sufficit tibi
 gratia mea: nā virtus in infirmitate perficitur. Quā
 do ergo infirmitas vel imbecillitas & vastitas aliqua
 grassatur: tunc virtus nostra perficitur. tunc fides si
 tentata perstiterit: coronatur/sicut scriptum est. Va= Eccli. 27.
 sa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio
 tribulationis. hęc Cyprianus. Quinimmo idem in
 sermone de bono patientiæ / luculenter ostendit &
 sacre scripturę testimonijs & exēplis ex ea deprom
 ptis: q̄ necessaria & utilis est hęc inclyta virtus / ip
 samq; insigniter cōmendat. vt ipsa dicti sermonis le
 ctio: quęq; planius edocebit. Ad quā quidē virtutē
 vt animū pręparemus/in extremo illo agone cōstitu
 ti: corde voluam⁹ oportet et ore profiteamur: q̄ quic
 quid doloris patimur in corpore: peccata nostra me
 ruerūt. immo q̄ multo acerbiores dolorū aculeos su
 mus cōmeriti: si peccatorū nostrorū attēdatur graui
 tas/et iusta expolcatur cōpensatio. Testatur idipsum
 beatus Gregorius in moralibus: his verbis. Iusta sūt Gregorius.
 cūcta quę patimur: & ideo valde iniustū est/si de iu
 sta passiōe murmuramus. Quare benigniter nobiscū
 agere deū cogitemus: q̄ tanta iniquitatū mole graua
 tos tā leui afflictatione castiget. illiq; gratias agamus
 de huiusmodi doloribus inflētis longe minore aspe
 ritate atq; seueritate: q̄ scelerū nostrorū exposulet
 ratio. Siquidē mēbra corporis nostri/secimus arma

Doctrina

iniquitatis & nequitiae: ad seruiendum immundiciae
 & voluptatibus. & quae acceperamus in usum natu-
 rae ac virtutis: conuertimus in usum culpae. Oculos no-
 stros multis incestauimus impuris aspectibus: cor no-
 strum illicitis cogitatibus. manus inquinauimus ini-
 quis operibus: & linguam vanis ac noxijs sermoni-
 bus. vt nichil in nobis fere sit membrorum: quod non fe-
 cerimus instrumentum perpetrandi alicuius facino-
 ris. Quid igitur iniustitiae nobis irrogatur a deo: si
 ad plerendum membrorum nostrorum usum ini-
 quum / inferitur illis pro voluptate inconcessa dolor
 acerbus in excoctionem atque abrasionem contractae
 labis? si noxię corporis delectationes: cruciatu doli-
 loris expientur ac diluantur? Adde quod huiusmodi do-
 lor corporalis vbi placido animo modestoque fertur:
 mirum in modum valet ad sordes animae nostrae des-
 tergendas. ceditque diuina acceptatione in aliquam
 satisfactionem peccatorum ante commissorum: atque
 in diminutionem supplicij illis debiti. quando adiu-
 trice patientia: praua delectatio culpae: eluitur forma-
 ce atque camino inflicti doloris. Quinimmo si cum
 gratiarum actione suscipitur & perfertur dolor ille
 corporis languentem excrucians: ignis purgatorij vi-
 ces agit / animamque reddit excocta omni scoria pristi-
 nae malitiae: puriore auro fuluo / & gemma fulgētio-
 rem. vt cum primū corpore fuerit exuta: protinus ad
 caelum nitida euolet / neque amplius indigeat purgato-
 rij ignis ministerio aut incendio. Magnū ergo presta-
 tur beneficium homini a deo in irrogatione huius-
 modi dolorum: facta corpori moribundo. quando-
 quidem per illos vbi leuiter & placide tolerati fue-
 rint: datur illi euadere acerbiter ignis post transitū
 ex hac vita expiatorij / multo. doloribus illis acriorē

& vehemētiorem. libēterq; debemus a deo exposcere hanc commutationem supplicij / post obitum punitorij atq; purgatorij: in dolorem temporariū / hic perferendum in corpore pro admissorum nostrorum abolitione. quēadmodum beatus Augustinus orasse dominū sedulo legitur his verbis. Domine/hic vte **Augustinus**
hic seca: vt in æternum parcas. Ita & paternam correptionem a deo nobis hic adhiberi in spiritu lenitatis / potius exposcere debemus: q̄ post hanc vitam / seuēriorem castigationē in virga & manu equitatis. quod & ipse deus nobis / vbi id iugum ferre sumus parati: libenter impartit. quēadmodum dicit beatus Gregorius. **Gregorius.**
 Misericors (inquit) deus temporalem interdum **Roma. 8.**
 seueritatem adhibet: ne æternam inferat vltionem. Et cum secundum Apostolum diligentibus deū omnia cooperentur in bonum: ipsius etiam morbi proxime mortem antecedentis diuturnitas & grauitas / cooperativa nobis est ad salutem / modo illum grato suscipiamus animo. non solum vices exercens debita post mortem purgationis per ignem: verū etiā aditum ad cœlum parans / viamq; sternens ad atria paradisi: teste ad Corinthios apostolo / cum ait. **2. Corin. 4.**
 Id enim quod in præsentī est momentaneum & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate eternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et ad Hebræos. **Hebræ. 12.**
 Omnis autem disciplina / in præsentī quidem videtur non esse gaudij sed mœroris: postea autē fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Certe ipsa morbi molestia / & dolorum mortem præcurrentium acerbitas / quædam est correptionis portio: nobis a deo benigniter inflicta ad meliorem nostræ salutis prouentum. quemadmodum Paulus apostolus Hebræos incusans q̄ equanimiter illatas
 g iij

Doctrina

Hebrę. 12. non ferrent tribulationes: ait. Ob'iti estis cōsolatio-
 Prouer. 3. nis: quę vobis tanq̄ filijs loquitur dicens. Fili mi/ no-

li negligere disciplinam domini: neq̄ fatigeris dū ab
 Apoca. 3. eo argueris. Quem enim diligit dominus castigat:
 flagellat autem omnem filiū quem recipit. In disci-
 plina perseuerate. tāq̄ filijs: vobis offert se de⁹. Quis
 enim filius: quem non corripit pater? Q̄ si extra di-
 sciplinā estis/ cuius participes facti sunt omnes: ergo
 adulteri & non filij estis. Hęc Paulus. Itaq̄ flagellū
 diuturnioris morbi & virgā acerbiorum dolorū/ leto
 & alacri animo perferre satagat egrotus: existimans
 illa nullo modo conferri posse ad magnitudinē foeli-
 citatis eternę / cuius fores reserant & patefaciunt in-
 troitū. Non enim sunt condignę passiones huius tem-
 poris (vt scribit Apostolus ad Romanos) ad futuram
 gloriam quę reuelabitur in nobis. Ecce quot fructus
 vberes/ quot emolumenta salutis homini accrescunt:
 ex dolorū in morte corpus prementū/ æquo animo
 facta perpeffione. Extergūtur in primis eo antidoto:
 peccatorū sordes prius cōtractę. purgatorius ignis in
 temporalem cōmutatur afflictionē: & supernę ciuita-
 tis tecta reserantur. ¶ Ad hęc. Dolor ipse ante mor-
 tis aduentū afflictiōis corpus: malū censerī nō debet/
 neq̄ refugi vt iniquū/ virtutivę repugnans. quando-
 quidē (vt ait Cicero in libro de senectute) nichil pos-
 test malū videri: quod naturę necessitas afferat. Do-

Roma. 8.

Cicero.

lorem autē in morbo postremo/ & ipsam morbi gra-
 uedinē/ non minus affert naturę lex atq̄ conditio: q̄
 ipsam mortē/ illa constituto ordine fere cōsequentē.
 Et paulo post idē ait. Quid est aliud/ gigantū more
 bellare cum dijs: q̄ naturę repugnare? At qui morbo
 p̄cedenti mortē & affecle eius dolori indignatur &
 oblectatur: naturę manifeste repugnat/ quę p̄ncipiū

mortis inducit morbum & dolorē illi comitē. Cum deo igitur pugnat: qui morbū ante mortem & sociū illi dolorē execratur & aucteratur/indigne ferēs se duro torqueri doloris aculeo: quem deus illi irrogat & infligit/quiq; nullam habet suapte natura malitię no tam aut labem annexam. Quod enim cum absoluta virtute coniungitur / quod optimo cuiq; viro contingit / quod deniq; a recta ratione nichil habet exorbitans: quomodo malum haberi poterit / aut cum horrore debet refugi? Hęc autem omnia: ipsi corporis dolori competere possunt. ¶ Itaq; magnitudine morbi & dolorum obruta mens/vt immani quadam mole: nitatur excutere id pondus iniectum / & caput attollere. eadem obnubilata nebulis atris suos euibret radios: discussaq; caligine densa qua obducitur/sum lumen eiaculetur liberius. neq; dolori cedat/neq; morbo prostrata succumbat: sed æquo ferat animo hanc naturę infirmitatem/ & forti pectore vincat. ¶ si exempla petat humanus animus perfecti modeste doloris/ quibus acrius incitetur & animetur ad patientiam: conspicetur sanctum Iob per Iob. 2. cussum vlcere pessimo/ sedentem in sterquilinio/ & sanienem testa radentem. qui tamen animo omnibus his malis superiore: de diuina prouidentia / de communi omnium resurrectione/ de diuinę iustitię rectitudine & cæteris altissimis mysterijs sublimiter discipat & differit. Intruetur & sanctos athletas ac martyres Christi / inter acerbos corporum dolores (quos despiciabantur & parui faciebant) hymnum deo canentes: & alacri vultu lætaq; facie currentes vltro ad mortem. Demū conuertat mentis oculos ad Ihesum Christum verum regem martyrum: sanguineo sudore in horto madentem/ flagris cæsum/ spinis coronatum/

Doctrina

manus & pedes clavis transfixum / latus lancea traie-
ctum : atq; solutis artuum compagibus distētiq; ner-
uis alta in cruce pendentem / cum tanta quidem dolo-
ris acerbitate : vt prophético testimonio contestetur

Threno. 1. nullum suo dolori similem inueniri aut æquiparan-
dum. atq; exinde sumat leuiter ferendi dolores suos
ægroto argumentum atq; materiam. Si enim ipse
dominus deus noster nulli vnq; peccato obnoxius / tā
graues pertulit dolores / vt nos a captiuitate demōnis
redimeret : quid faciemus nos ipsi serui inutiles / tātis
inquinati malis / & peccatis saucij? nonne vt Christo
nostro capiti conformemur : omnem morbi (cū mors
ingruerit) molestiam omnemq; dolorum acerbitatē
in nostrorum saltem peccatorum expiationem libē-
ter tolerabimus? Postremum grauiores aliorum ho-
minum adhuc vitam trahentium dolores / annum
aut longiorem morbum / diuturnum in lecto decubi-
tum : ob ambulandi aut membra mouendi impoten-
tiam / exesos morbo & arrosos eorum artus : animo
suo obijciat languidus / necnon durum aliorum carce-
rem / catenarum stridorem & molem / & cætera id ge-
nus tristitia incommoda. quorum consideratio haud
mediocriter suum leuabit minuetq; dolorem : cum
secum reputabit se longe minore cruciatu affligi / &
qui ad illorum collationem pene nullus aut admo-
dum modicus videri debeat. illudq; salutare monitū
sibi a Nasone suggeri : frequenter existimet.

Quidius. Neq; enim fortuna querenda
Sola tua est. similes aliorum respice casus :
Mitius ista feres.

¶ Non debere molestā esse ægroto derelictio-
nem bonorum externorū / delictiarum & gloriæ
huius mundi.

Cap. XIII.



Ingerit præterea occultis sugges-
tionibus hostis noster animo de-
cumbentis extremo morbo (mo-
do id possit) grauem tristitiam:
q̄ huius vitæ commodis priuetur
& bonis sensilibus. q̄ corpus suū
cogatur relinquere/ delitijs affue-

tum & mollibus oblectamentis: quibus amplius nō
perfruetur. q̄ magno sudore peruigiliq̄ cura conge-
stas opes: alijs dimittere compellatur. q̄ deniq̄ regia
scepra/ magistratus/ dignitates/ honores aut ecclesia-
sticos aut ciuiles/ quibus hactenus est perfunctus: de-
relinquere debeat / & his omnibus ad mundi gloriā
spectantibus nudari. Cui quidem suggestioni tristi-
tiæ si præbeat aditum infirmus: protinus in œrore cō-
tabescet / tantoq̄ conficietur animi dolore: vt atra
obductus animum nube/ nichil rectum aut suæ salu-
ti congruum possit cogitatione pertractare. Suspira-
bit enim anxius/ illorū quæ hic ardentè amauit bo-
norum desiderio: & inuitus cum miserabili querimo-
nia abducetur ab huius vitæ incolatu. quare mors il-
lius reddetur difficillima: animæq̄ suæ periculosa.
¶ Certe diffitendū non est/ illos qui impensius equo
fuerunt addicti cum uiuerent sospites/ corporis volu-
ptatibus: aut cōgerēdis diuitijs quas propensius ama-
uerint/ aut pompæ huius mūdi in cultu nitido/ supel-
lectile splendida / magistratue magnifico obeūdo:
difficilem sustinere & experiri ex hac vita trāsitum.
q̄ vehēmētiore q̄ par sit affectu his bonorum umbris
alligati: compedes sibi & manicas/ duraq̄ vincula cō-
pegerunt: quibus artius sunt constricti. & proinde
molestiorem sentire & duriozem animę a corpore so-
lutionem: quasi retinaculis quibusdam detētæ. Qui

Doctrina

vero cum vitam degerent / longo vsu ac virtutis exercitio per mysticā quādam mortem (de qua in superiore loco factus est sermo) abduxerunt animam atq; secreuerunt a corpore / delectamēta carnis abiecerūt:

diuitias aspernati sunt / gloriam mundi conculcarūt: ijs ipsis quoniam mortui sunt mundo / hęc hostis impugnatio incōmodare non potest aut officere. Non enim inuiti relinquēt corpus suū / iandiu in ipsis pręmortuū: & ab omnibus illecebris auocatū. Non itidem cum dolore suas relinquēt diuitias: ad quas dū viuerent non fuerunt ardēter affecti. Non deniq; superbos fauces / principatus / & primatū in populo / egro animo dimittēt: quoniā per abductionē diutinā animę a corpore / omnia hęc tāq; fumū euanescentē paruifecerunt & habuerūt contēptui. Proinde soluti catenis istis & expediti / e carcere corporis exeunt sine eggrimonia: atq; in liberio rem alterius vitę campū se cum mira facilitate traducūt. ¶ At quoniam paucorum est admodum / hęc auocationem animę a corpore & affectibus eius in hac vita perfecte assequi / ob nimiam in corpus indulgentiā atq; propensionē nostrā: instruēdq; nūc sunt machinę ac tormēta / quibus irrita reddatur modo explicata hostis impugnatio. Et in primis animo reputet secum ægrotus / nō difficile sibi debere videri eius redditiōnē vestimēti: quod vt tandem redderet / precario ad tempus accepit. Animę autem nostrę integumentū / est corpus. quod accepimus a deo: ea quidē lege & conditione. vt cū vetustate fuerit detritū / aut aliquo morbi fortuitęve cladis casu concisum: repetenti domino reddatur. vt reuertatur in terram de qua sumptum est: & putrefcat in sepulchro. Ea sãne est lex cuiq; hominum pręscripta: quā omnibus inuulgat hic locus psalmi.

Exibit spiritus eius & reuertetur in terrā suā: in illa Psal. 145. /
 die peribūt omnes cogitationes eorū. Nō igitur mo-
 lestā censere debet ipsius corporis depositionē: ne ini-
 iustitię veniat infimandus & iniquitatis / vt is/ qui
 acceptā mutuo vestē domino reposcenti aut reddere
 recusat: aut reddit inuitus. Diuitiē itidē nobis a deo
 permissę sunt ad vsū ac rectā dispēsationē / ea etiā cō-
 ditione: vt cū nostrę administrationis tēporarię exa-
 ctū fuerit spaciū / alijs eas cōtradam⁹ ac relinquamus /
 prudēter & fideliter pro suo tēpore dispēsandas. neq;
 eas hinc asportemus: vt quę in præsenti tantum vita
 aut dispensari aut vsui esse queant. Hāc plane legem
 nobis insinuat beatus Iob: dicens. Nudus egressus Iob. 1.
 sum de ventre matris meę: & nud⁹ reuertar illuc. Et
 Ecclesiastes. Sicut egressus est nudus de vtero matris Eccēs. 5.
 suæ: sic reuertetur / & nichil auferet secum de labore
 suo. Quibus consonat beatus Paulus: ita scribens ad
 Timotheū. Nichil intulimus in hunc mūdū: haud 1. Timo. 6.
 dubium quia nec auferre quid possumus. Atqui dis-
 pēsationis nostrę tēpus ad diuitias in vsu nostrū et
 aliorū recte dispartiēdas designatū: in ipso mortis ar-
 ticulo finitur. Cur igitur inuiti relinquit⁹ illud ad-
 ministrationis munus / & cū anxia mentis querela: si-
 mul & ea quę suscepimus dispēsanda? Si enim aspor-
 tare ea hinc cupim⁹: iniusti protin⁹ esse cōuincemur /
 qui ea auferre velimus quę huc nō attulimus. Sin ve-
 ro diutius hic manere superstites optamus / vt diutius
 noxiorem exerceamus earum rerum dispēsationē: arro-
 gantes videbimur & insolentes. cōmissorū negotio-
 rum curā & administrationē diutius gerere volētes:
 q̄ velit deus / a quo eā suscepimus prouinciā. Pręter
 ea: cū ea dispēsatio administratioq; diuitiarū / pericu-
 losa sit admodū et onerosa: interdū corpori et sepius

Doctrina

animo intētans exitium (multi enim/teſte Ariſtote-
le/propter diuitias perierunt: & complures ob immo-
deratam opum appetentiam inciderunt in laqueum
& tentationem diaboli / & inferuerunt ſe doloribus
1. Timo. 6. multis/vt ſcribit Apoſtolus) quid tātopere optamus
hāc ſarcinam humeris noſtris diutius imponi: & diſ-
penſationem nobis credi ſæpius pernicioſam q̄ vti-
lem? Cur non potius deo gratias agimus: q̄ mortis
acceſſu nos liberat ab hoc faſce tam graui/ab hac ad-
miniſtratione tam plena diſcriminis? Adeone men-
te capti ſumus: vt cū exonerati magno & graui pon-
dere diuitiarum quę amplius in vſum noſtrum cede-
re non poſſunt/amplum a deo beneficium ſuſceper-
imus: graue damnum accipere nos queramus? Tan-
tane mentē noſtram capit dementia / vt quod ingens
exiſtimari debet beneficiū a deo acceptū: nos detri-
mentum putemus? Adde q̄ ſi ablatae fuiſſent nobis
opes in medio vitę curſu/aliquo ſiniſtro caſu: vt fur-
to/rapina/naufragio/incendio aut alio quouis male-
ficio: debuiffemus quidem eam iacturam æquo ferre
animo / q̄ eiufmodi generis ſunt bona/ vt facile adi-
mi nobis valeant & eripi: ſuapte natura inſtabilia/&
plęrunq̄ mutabilitati fortunę obnoxia. Cur igitur
non etiam placide & modeſte feremus ea nūc in ex-
trema vitę meta nobis amoueri: cum amplius noſtro
vſui nichil conferant aut proſint? Cur non potius
deo gratias agimus: q̄ tāto temporis decurſu & per
totum peregrinationis noſtrę ſpaciū permiſit nos
bis indulgenter tranquillū vſum diuitiarū ad exi-
tum vſq̄ vitę? cū multos videamus ſuperſtite adhuc
vita eo deſtitutos vſu: & opibus aliquo euentu ſpo-
liatos. Mirū eſt certe tantā eſſe noſtram inſcitiam ac
imprudētiam/vt vbi gratiarum deo agendarum no-

bis materia offertur et occurit: nos earū loco expositu
 lemus cum eo quasi acceptam iniuriam & conque-
 mur / vsq̄ adeo excēcatus est nostræ mentis obtutus.
CAd hæc. si trāsitoria est ipsarū opum & momēta-
 nea possessio: si euanidus & occiduus est diuitiarum
 corporalium vsus / & qui post mortē amplius haberi
 non possit / quod sane neminem latet: cur non ad eas
 aspiramus diuitias quæ morte non possunt intercipi-
 nec furto auferri nec incendio absumi? virtutes in quā
 animi & earū opera: quæ sua possessione fœlices nos
 reddunt vereq̄ beatos / quæq̄ post fata manēt super-
 stites & suos dominos comitātur. Ad quas cum da-
 tur hora cōparādas: nos hortatur propheta in psal-
 mo dicens. Custodi innocētiam & vide æquitatem: Psal. 6.
 quoniā sunt reliquæ homini pacifico. Vbi reliqui-
 as / illas vocat virtutes: quoniā post mortem super-
 sunt affecte & comites ijs qui fuerūt ipsarum in vita
 cultores / & illis indiuiduæ assistunt atq̄ indissepara-
 biles. Cohortatur & dominus noster in euangelio
 nos omnes ad harum diuitiarum coaceruandū the-
 saurum / alijs neglectis atq̄ posthabitis: cum ait. No
 lite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi erugo
 & tinea demolitur / & vbi fures effodiunt & furātur.
 Thesaurizate autē vobis thesauros in cœlo: vbi nec
 erugo nec tinea demolitur / & vbi fures non effodiūt
 nec furantur. Et beatus Paulus ad Timotheum scri-
 bens: eiusdem rei nos admonet dicens. Diuitibus hu-
 ius seculi præcipe non sublime sapere / nec sperare in
 incerto diuitiarum: sed in deo viuo / qui præstat no-
 bis omnia abunde ad fruendū. bene agere / diuites
 fieri in bonis operibus / facile tribuere / cōmunicare /
 thesaurizare sibi fundamentum bonū in futurum: vt
 apprehendant bonam vitam. De huiusmodi itidem

Doctrina

Cicero. diuitijs Cicero in paradoxis hoc præclarum fert testi-
moniu. Etenim si isti callidi reru æstimatores prata
& areas quasdam magno æstimant: q̄ ei generi pos-
sessionum minime quasi noceri potest. quanti est est
manda virtus: quæ nec eripi nec surripi potest/ neq̄
naufragio / neq̄ incendio amittitur/ nec tempestatu
nec temporum permutatione mutatur? qua præditi
qui sunt: soli sunt diuites. Soli enim possident res &
fructuosas & sempiternas: soli q̄ (quod est proprium
diuitiarum) contenti sunt rebus suis. Satis esse pu-
tant quod est: nichil appetunt/ nulla re egent/ nichil
sibi deesse sentiunt / nichil requirunt. Hæc Cicero.
Itaq̄ si has veras diuitias (nam vt perhibet beatus

Gregorius. Gregorius/veræ diuitiæ sunt: quæ nos diuites virtu-
tibus faciunt) sibi languidus conspexerit adesse repo-
sitas animo: solide gaudeat se ea opulentia locuple-
tem esse/ quæ animam reddat foelicem ac beatam/ &
caducas opes faceffere sinat. Sin vero illis nudum se
& vacuum conspexerit: indoleat quidem suam for-
tem q̄ tempestiue eas nõ comparauerit. ac præteritã
exolus vitam ad deum patrẽ totius miserationis cõ-
fugiat: suppliciter exposcens vt illis veris opibus ani-
mam suam exornet & honestet. ¶ Postremũ. nichil
est q̄ contristetur morti iam proximus: se honoribus
huius seculi & amplis dignitatibus quas hactenũ gef-
sit/ destitui. quoniam ea lege suscepit illas admini-
strationes & publica munia: vt ad extremũ in mor-
te illis defungeretur. neq̄ primatus gloria aut fasces
consulares hominem post funera comitatur. Quod
Psal. 48. propheta in psalmo nobis innuit: his verbis. Ne ti-
mueris/ cum diues factus fuerit homo: & cum mul-
tiplicata fuerit gloria domus eius. quoniam cum in-
terierit non sumet omnia: neq̄ descendet cum eo glo

ria etus. Cum etiam plerofq; legerit ipse languidus & viderit altis honorum sedibus & sublimi dignitate culmine repente deiectos fuisse aliqua fortunę malignitate: & inglorios reliquũ æuũ trãsegiffe (nichil enim eque temeritati/teliseq; fortunę subijcitur: vt potētiffimorũ hominũ grad⁹) gratias potius agere debet deo sub ipfũ vitę exitũ: q̃ nichil tale sibi acciderit/ sed in pontificalis apicis aut senatorij ordinis dignitate sine sinistro calus incurfu ad finē vsq; vitę permãserit. q̃q; citra notã infamię aut dedec⁹: suũ magistratũ cũ vita deponat: huiusmodi sane cogitatus/ & consimiles: animo consolationem afferunt. & de acceptis a deo beneficijs potius gratias exoluēdi: q̃ de amissione pristini gradus conquerendi aut dolendi/materiam subministrant.

¶ A consanguineis & familiaribus separationem: non ceneri debere ipsi morienti molestam aut difficilem. Cap. XV.



Dicit insuper animo sanguescētis & moribũdi hominis hostis noster (vt est ad fallēdum vaser) cognatorum magnam turbam / vxorem & liberos si habeantur / familiares item amicos quibus cum diuturna habita est consuetudo. & exaggerare mœrorem animi molitur tristi ea consideratione: q̃ hac mortis diruptione ab illis seiungi cogitur/quos habuit sui amantiffimos & arctiffimo amoris vinculo sibi coniunctos. Nũc futura vxoris orbitas atq; viduitas: animum forti ariete pulsat. Nunc filiorũ dura fors/paterno presidio (quo vel maxime indigēt) destituēdorũ: cōcutit paterna viscera & torquet. Quę certe machinã etiã adamãtinum

Doctrina

aut æreum murum frangeret: & fortissimum quenq̄
prosterneret virum/ nisi virtute fuerit valide muni-
tus. Ingerit super hec omnia anxietatem & sollicitu-
dinem animo paterno inimicus noster: quis filiorū
suorum sedulam geret curam / quis illos ad honestū
vitæ genus amplectēdum studiose diriget/ vt hoc an-
gore mentem languētis opprimat. Alia ex parte ve-
niunt in mentem dulces amici: quibus iam multos
annos vsus est familiariter & iucunde. a quibus tãto
nunc acerbius est per mortem dirimi: quãto gratius
ante fuerat eorum contuberniū ac sodalitiū. Hac
mole saxorum obruere nititur/ hac telorum grãdine
& nube profus opprimere laborat antiquus hostis
animum morientis: vt non possit ipsum attollere
in altum/ ad cogitandum ea quę dei sunt. ¶ Verum
grauiore hanc pugnam & difficiliorem reddimus
nos ipsi cū vitam ducimus: q̄ nimio amore afficimur
ad consanguinitate nobis coniunctos/ ad thori sociã/
ad filios/ ad cōtubernales & sodales nostros. redditq̄
propensior iste affectus: discessum ab illis molestio-
rem nobis & tristiorem. quandoquidem cum mœro
re separamur ab ijs: quę feruenter amamus. & ægre
diuellimur ab illis: quibus tenaciore affectionis glu-
tino adhæremus affixi. Q̄ si abducta fuisset anima
in medio vitæ nostræ cursu per mortē mysticã prius
descriptam: a commercio cognatorum/ cōiugis & li-
berorum/ a sodalitate & contubernio familiarū. vt
tanq̄ mortui/ ad ea omnia parū fuisset affecti: nec
amplius q̄ recta ratio postulat. nullã ingereret diuul-
sio ab ipsis/ animo nostro molestiam: vt quę consue-
tudinaria nobis & domestica facta foret. Quinim-
mo ea vna est & generalis ad trãquille et placide mo-
riēdum doctrina: q̄ summopere enitendū est in ipso

vitę procturſu reſecare affectum nimifi ad ea quę ſunt
 mundi huius/ipſumq; animo reuellere ac extrudere.
 vt nichil nobis adhuc ſanis & valentibus cordi ſit ni
 chil amplius curę: niſi quod ad dei ſpectat honorem
 ac cultum. Qui enim idipſum continuo virtutis ſtu
 dio fuerit affecutus/ & ita moderatus animum: cum
 morti propinquauerit / neq; corporis ſui nec opū aut
 dignitatum tenebitur cura/ neq; ad ea ſuum cogitatū
 deſectet. Non etiam conſanguineorum/ non libero
 rum/nō amicorū angetur ſolitudine/ neq; torquebi
 tur moleſtia: vt quorū iam pridē exuerit affectū. Sed
 liber & expeditus ad ſolum deum ſe cōuertet alacri
 ter ac ſuſpirabit: illum vnum corde meditabitur/ ore
 ſonabit & opere confitebitur. in illum omnia illius
 ferētur vota: deniq; ad illum quaſi dolci ſomno ob
 dormiſcens placide euolabit. Qualem fuiſſe ſanctiſ
 ſimam beati Auguſtini matrem Monicam: haud in
 iuria coniectare licet. quę non multo ante ſcēlicę ſuā Sancta Mo
nica.
 obdormitionem tempore / cum filio ſuo Auguſtino
 cōſiſtēs apud oſtia Tyberina: colloquebatur ſoli val
 de dulciter / & inhiabat ore cordis pariter in ſuperna
 fluenta fontis vitę: vileſcebatq; mūdus iſte inter ver
 ba cum delectationibus ſuis. Tunc ait illa filio. Nul
 la re iam delector in hac vita: cum te contempta ſcēli
 citate terrena videam ſeruum Chriſti. Poſtulauerat
 ſane diutius ipſa optima mater largo lachrymarum
 flumine a domino: filij ſui ad veram fidem catholi
 cam conuerſionem. Quam vbi tandem impetraue
 rat: nullius amplius rei tenebatur amore in hoc ſecu
 lo. nichil ei reliquum erat quod hic quæreretur: ſolum
 deum fontem viuum ſitiens / & ad ipſum toto corde
 ſuſpirans. Qz ſcēlix eſt homo/ qui mente ſibi conſcia
 veri/ dicere poteſt cum beata Monica: ſe nulla pror
h i

Doctrina

fus te amplius delectari in hac vita. q̄ suavis & quies-
 tus erit eius transitus ex hoc mūdo: & q̄ leuis ac mol-
 lis illius obitus. **C**At quoniam raros inuenias qui sic
 animum secreuerint a corpore / & rerū seculariū affe-
 ctum omnimodis exuerint adhuc auram vitalem cū
 sospitate spirantes: apparanda sunt remedia / quibus
 cōtra immoderatū ad cognatos & familiares affectū
 (si noxius insurgat) in ipso mortis puncto vtatur ani-
 mus. Nichil certe est quo tristari debeat moriturus:
 aut indigne ferre q̄ a propinquis sibi cognatione vel
 familiaritate decedat. cū si ipso superstite fuissent illi
 morte erepti (vt plerūq̄ cōtingit) esset illud ei æquo
 ferendū animo: neq̄ diuinę iussioni repugnandū fo-
 ret. Nūc vero q̄diu mansit in vita qui nūc decumbit
 morbo: illos cū habuit cōuiuētes / illorū familiarita-
 te & cōsortio vsus est quanto tēpore vitā produxit:
 eosq̄ relinquet post sua funera incolumes. Gratias
 igitur agere deo debet de accepto hoc singulari bene-
 ficio: q̄ nec filiorū nec amicorum destitutus est sola-
 tio ante suę mortis horam / q̄ viros relinquit prou-
 dos spectatęq̄ fidei: qui liberorum suorum (si tenelli
 sunt) curā gerant. Quinetiam cum filij paterno fune-
 ri superuiuunt: quodammodo in illis adhuc uiuit &
 pater / quem illi ore & moribus interdum referunt.
 & ita in filijs: producitur in longiora tempora / vi-
 ta patris. vt testatur his verbis Ecclesiasticus. Qui
 docet filium suum / in zelum mittit inimicum: &
 in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est
 pater eius: & quasi non est mortuus. Similem enim
 reliquit sibi: post se. In vita sua vidit: & letatus est in
 illo. In obitu suo non est contristatus: nec confusus
 est coram inimicis. Reliquit enim defensorem do-
 mus contra inimicos: & amicis reddentem gratiam.

Eecli. 30.

Hæc ille. Proinde gratias exoluat deo non mediocres ipse pater iam animam expiraturus : quod in toto vitæ suæ curriculo non fuerit orbatus liberis / non thori socia / nec cognatis. non extulit luctuosus suorum funera : nec veste lugubri deduxit ad sepulchrum. In columi & florète domo : hinc inter suorum manus / amplexus / & oscula eripitur : quod non parum exoptandum est : & ubi obtinetur / non parui faciendum. Posito igitur quantum natura finit mœrore : deo potius filios suos enixe comédet pater / petatque supplex : ut sit loco suo / eorum pater / dux & adiutor. Dirigat eos in viam bonam / in rectam semitam : qua tandem post hanc vitam transitoriam prouehantur ad æternam. Quomodo dominus noster discessurus a discipulis per ascensionem in cœlos (quos ut filios / charissimos habuit : & ob exuberantem in eos amoris affectum / filiolos vocauit) patrem cœlestem pro eis sollicitus orauit : ut conseruaret eos a malo. Ego (inquit) pro eis rogo. Non pro mundo rogo : sed pro his quos dedisti michi / quia tui sunt. Pater sancte / serua eos in nomine tuo quos dedisti michi : ut sint vnū sicut & nos. Quum essem cum eis : ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti michi ego custodiui : nunc autem ad te venio. Non rogo ut tollas eos de mundo : sed ut serues eos a malo.

Beatus item Martinus ex hac luce migraturus / discipulos suos subtristes & mœstos quod a suo patre desererentur sicut oves inter lupos sine pastore : domino sollicitus commédauit dicens. Hos quibus timeo : ipse custodias. Quorum exemplo adductus & prouidus pater / deum impensius oret : ut filios suos commendatos suscipiat / paternaque cura custodiat. Cum erat ipse conuiuens : sedulam adhibuisse se commemoret curam ad ipsos recte educandos. Nunc cum ab ipsis diuel-

Doctrina

litur : deum illorū tutorem & reſtorem primarium
constituere se dicat. rogetq; instantius vt eā non ab-
nuat prouinciam neq; recuset tutelam. Non est (mi-
chi crede) ingrata deo : hęc aut similis a cordis pene-
tralibus effula oratio . ¶ Cogitet præterea morti vi-
cinus homo / non se perpetuo separatim iri a suis aut
agnatis aut amicis : sed ad modicum temporis spaci-
um / quo eos præcedit in alteram vitam / paulo post
eosdem in æterna requie iterum visurus : & beatam
immortalēq; vitam in cœlo cum ipsis victurus. Quē
admodum inclytus Christi athleta & martyr / beatus
Sebastianus : de sanctissimis viris & sacræ fidei ago-
nistis Marcelliano & Marco dixit ad necessarios eo-
rū & familiares : id deplorantes q; per martyrij ago-
nem abrupta ipsorum vita / præmature diuelleretur
ab ipsis. Nolite (inquit) timere : non separabuntur a
vobis : sed vadunt in cœlū parare vobis sidereas mā-
siones. Et Christus dominus noster consolatoria ver-
ba suis discipulis ob eius abitionem in cœlum tristi-
bus proponens : ait. Non vos relinquam orphanos :
vado & venio ad vos. Vado parare vobis locum : &
iterum veniam ad vos & accipiam vos ad me ipsum.
haud aliter spe firma subnixus / qui tendit ad mor-
tem : persuadeat sibi & cōfidat / q; ad paucos dies erit
ista a parentibus & filijs separatio : quos postea ha-
bebit immortalis gloriæ & immarcessibilis cohæ-
redes ac socios. Horaria quidem est ab eis seiunctio :
perpetua vero & intermina futura est / cum iisdem
coniunctio in fœlicissima illa sanctorum requie &
societate. Et hęc plena bonæ fiduciæ spes : animum
cadentem eriget ac confirmabit. Ita corpus suum
quod relinquit moriens / speret se in consummatio-
ne seculi recepturum. sed gloriosum / sed immortale /

Sanctus Se-
bastianus.

Ioan. 14.

sed splendidum. Idcirco nichil sibi iacturæ inferri: si nunc caducum/mortale/& squalidum relinquat/terra mandandum. vt & is nullū incurreret dispendiū: qui laneam vestem & sordidam abijceret/recepturus pro ea amiculum aureum aut purpureum. Optanda sane est/& multis expetenda votis: hæc commutatio. Et de opibus huius mundi quas relinquit hinc emigrans: quid anxius est? cum illarum loco sit accepturus æternæ gloriæ diuitias & opulentiam copiosam. Dimittit hic lutum: & in cælo accipit aurum. quis (oro) non libenter lutum cum auro commutauerit? Deniq; de gloria huius mūdi fluxa & caduca: nichil est q̄ doleat eam a se deferi. quandoquidem illius loco vocatur ad cœlestem gloriam: quæ vera est & solida/nullo æuo casura/nullo fine interitura / non imminuēda: sed auctior demum futura/cum fuerit anima corpori rursus vnita.

¶ Hæsitacionem omnem de fide quam suggerit hostis morienti/esse reijciendam: & in ipsa fide firmiter persistendum. Cap. XVI.



Ræterea solet inimicus noster iā morti propinquum hominē de fidei documentis & regulis pulsare ac exagitare: vt in dubitationem aut eius abnegationem illū pertrahat. Cōpertum siquidē habet (vt est astutissimus veterator) nullo ingenio melius domū posse dirui atq; subverti: q̄ si fundamentū labefactetur. quo destructo: quicquid fabricæ superextructum est/protinus ruinā trahat & pessum eat. Spirituales autem ædificij & structuræ virtutum in anima erectæ/basis & fulcimentū est fides: cui reliquæ superlocantur suo ordine virtu-

Doctrina

tes / vt consummatum reddant salutis opus. & vsq̄
adeo quidem necessaria: vt sine ea saluus fieri possit
Hebrę. 11. Sine fide enim (inquit Apostolus) impossi-
bile est placere deo. Idcirco non cessat suffodere can-
niculis / occultasq̄ moliri insidias antiquus hostis :
vt hoc fundamentum subruat / vt fidei robur & solis-
ditatem aliqua ex parte lædat. Ad quod tentādum:
sua parat machinamenta consuetosq̄ dolos. nunc ar-
dua orthodoxæ fidei mysteria / summæ trinitatis / di-
uinitæ præscientiæ / dominicæ incarnationis / sacrosan-
ctæ communionis: vt difficilia creditu & factu impos-
sibilia obiectans animo. nunc vanam aliquam suas-
siunculam suggerens: qua videatur illa a veritate abs-
horrere / & aliter potius se habere. nunc vero impor-
tunius disceptationem ingerens & discussionem dis-
putatoriam: itane sentiendum sit vt sancta confitetur
ecclesia / an secus. Quibus omnibus technis & frau-
dibus aliud nichil elaborat: q̄ hominem a firmitate
fidei in vacillationem deducere: eius animum red-
dere ancipitem in ijs de quibus hæsitare nemini li-
cet / & ita funditus perdere. ¶ **U**erum his omnibus
machinis ac tormentis viam præcludat fortis Christi
miles: per reiectionem omnis disputationis & inquisi-
tionis ambiguae de fide ac eius sacramentis / quam
immittit tentator. vt neq̄ cum eo disceptet homo:
de ijs quæ subdole proponit (quoniam si inquirere
pergat rem ipsam / & proponenti hosti ex aduerso re-
spondere: haud difficile in foueam erroris præcipita-
ri posset) neq̄ quoquo modo nutet / vacillet aut hæ-
sitet de ijs: quæ fides catholica complectitur. quan-
doquidem huiusmodi hæsitatio: cum integritate fi-
dei hæerere / consistereq̄ non potest. Et vt hæc omnia
vno declinet remedio: contestetur palam ægrotus se

integrè & solide ea omnia credere / quæ sacrosancta ec-
 clesia sancit ac decernit credenda. in eaq; fidei firmi-
 tudine se viuere & mori velle: in propatulo ac coram
 multis confiteatur. se itidem fidei in lauacro baptis-
 mi susceptæ regulâ ad amissim tenere velle: neq; ab
 ea vel transuersum vnguem discedere. Quod vt fir-
 mius expleat: sacrû fidei symbolum animo gerat in-
 fixum / & apud se assidue ruminet: aut ab alio subla-
 ta voce sæpius proferri ac pronuciari curet. vt sub
 illo quasi vexillo militari signoq; bellico: certamen
 ineat ac progrediatur in hostem. Hoc clypeo forti /
 dissertationem omnem / ac disquisitionem de fidei
 dogmatibus quâ inculcat hostis: propulset. Hoc de-
 niq; munimine tutus: omnia aduersarij molimina
 proterat / dissipet / repellat. Simul etiam diuinum im-
 ploret idem auxilium intento in orationem animo:
 petatq; sedulo integritatem ac soliditatem fidei in-
 uiolatam in seipso conseruari. ne in errorû deuia aut
 diuerticula: per versutias hostiles abducatur. neve a
 recto tramite fidei / suggerente patre mendacij: decli-
 net ad dextram aut sinistram. ne deniq; relicta via re-
 gia aberret in obliquas semitas / & ferat in præcipitia.
 Vnde exemplo apostolorum Christi (qui in euāge-
 lio dixisse leguntur ad eum: domine adauge nobis Lucæ. 17.
 fidem) petat instantius & fidem in se diuino mune-
 re adaugeri atq; corroborari tâta virtute: vt ab hos-
 te dirui & euerti nequeat. Exemplo etiam patris Marci. 9.
 pueri lunatici (cui cum dixisset dominus. si potes
 credere: omnia possibile sunt credenti. ipse respon-
 dit exclamans cum lachrymis. credo domine: adiu-
 ua incredulitatem meam) & ipse infirmus protestes-
 tur se credere: nichilo secius petat suam incredulitas
 tem / fideiq; suæ imperfectione / a domino adiuuari. vt

Doctrina.

Suppleat diuina bonitas quod perfectiōi deest : & ad consummatum robur eam adducat. Amplectatur itē religiose ipse egrotus & prompte manibus suis carcerum accensum : qui pro more laudatissimo solet morientibus (cū iam spiritū emissuri sunt) exhiberi | ad significandum q̄ in claritate & lumine fidei per carceris flammā designato : spiritum deo reddere velint.

Quodq̄ exteriore gerit opere : præstet & interiore mentis habitu | inextinctūq̄ fidei lumē & nullis offuscatum tenebris hinc secum deferat. ¶ Porro ad soliditatem fidei in ipso mortis agone inuiolate seruandam : mirum in modum conducit in ipso vitę decursu firmitas fidei cum sobrietate moderata | refugiente curiosam indaginem & inquisitionem temerariam abditissimorum fidei mysteriorum . quam nonnulli etiā secularis professionis & ciuilibus facultatis viri altum sapere volentes & ponentes os in cœlum : inter mensas & pateras | inter lances discosq̄ nitentes | inter spumantes mero crateras | tunc cum vino madent & obruti sunt | agitate solent. percōtantes de diuina prædestinatione & præscientiā | quo pacto nostrę voluntatis libertati & actioni liberę non repugnet. sciscitant ita cur deus hominē creauerit (vt exempli gratia Iudam proditorem) quem ab æterno præcognouit futurum malum : & in malitia sua moriturū . cur itidem angelorum primatem & principem cōdiderit : quem prænouit lapsurum per superbiam | & nunq̄ ad rectitudinem rediturum. deniq̄ cur dedit deus Adę præceptum q̄ nō manducaret de fructu arboris sciētię boni & mali : quod præsciuit ipsum præuaricaturū & multa id genus : quorū disquisitio non est ad rectā institutionē | sed subuersionē animorū . Certe huiusmodi ingenij homines ridet Satyricus hoc carmine.

Gene. 2.

Ecce inter pocula quærunt

Petrus.

Romulidę faturi: quid dĩa poemata narrent.

Eosdem dānat & Sapiēs in prouerbijs: cum ait. Si Prouer. 25.

cut qui mel multū comedit/nō est ei bonum: sic qui

scrutator est maiestatis/opprimetur a gloria. Et Ec

clesiastes: his verbis. Quid necesse est homini maio Ecclē. 7.

ra se quærere? cum ignorat quid conducat sibi in vita

sua/numero dierum peregrinationis suę: aut tempo-

re/quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit in-

dicare: quid post eū futurū sit sub sole? Quibus asti-

pulatur Ecclesiasticus: ita quęq; salubriter admonēs.

Altiora te ne quęsieris: & fortiora te ne scrutatus fue- Ecclē. 3.

ris. sed quę tibi præcepit deus/illa cogita semper: &

in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Nōn est

enim tibi necessarium: ea quę abscondita sunt/ vide-

re oculis tuis. In superuacuis rebus noli scrutari mul-

tipliciter: & in pluribus eius operibus non fueris cu-

riosus. Plurima enim super sensum hominis: ostensa

sunt tibi. Multos enim supplantauit suspitio illorū:

& in vanitate detinuit sensus illorum. Hęc ille. Id

nimirum stupēdum est: q̄ cum deus clamet per pro-

phetam. secretū meum michi: secretum meū michi. Esaię. 24.

et propheta dicat in psalmo: q̄ iudicia domini aby- Psal. 35.

sus multa. præsumptione tumidi serui inutiles & in-

solentes: audeant irrumpere in penetralia illa diuino

rum secretorum nisu temerario. & quid in supernę

maiestatis conditorio sit abstrusum: rimari ac disqui-

rere. non minus committētes piaculum/q̄ seruus ob-

feratam domini sui epistolam & annulo herili obli-

gnatam offendens: si tentet sua temeritate violare si-

gillum epistolę impressum ac confringere. & quid

sententię charta illa cōtineat: introspicere. Clamat

insuper Apostolus: sublimitate diuinorum iudicio-

Doctrina

Roma. 11. rum attonitus. O altitudo diuitiarū sapientię & sciētię dei: q̄ incōprehensibilia sunt iudicia eius/ & inuestigabiles vię eius. Quis enim cognouit sensum domini: aut quis cōsiliari⁹ ei⁹ fuit? aut quis prior dedit illi: & retribuetur ei? Hi autem perscrutatores maiestatis/ in abditissima cōlestiū secretorū adyta audēter pedē inferunt/ penitissimosq; deitatis recessus: & quidnam in eis delitescat/ occultetur ac abstrudatur/ temere peruestigāt. non attendētes in lege p̄ceptū

Exo. 19. esse q̄ bestia quę tetigerit mōtē lapidibus obruatur: neq; verentes montē illum excelsum & arduum diuinorum iudiciorum / sordidis pedibus/ illotisq; (vt aiūt) & impuris manibus cōtingere. cū tamē scriptū

1. Corin. 2. sit q̄ carnalis homo nō percipit ea quę dei sunt. Itaq; talis ingenij ac cōditionis homines nactus hostis antiquus: in extremo vitę termino similibus exagitat interrogatiūculis. & inquisitiones de diuina p̄sciētia ac p̄destinatione multis tricis implicatas obiectat: quoniā illis in vita sunt assueti. Deinde & hęc cęteris innectit quęstionē: sintne ipsi p̄destinati a deo vel reprobati. sub qua laqueos abscondit: vtrinq; paratos ad capiendū animas. Neq; abssistit ab huiusmodi infestationibus: donec irretitam suis cassibus (nisi diuina succurrat bonitas) teneat p̄dam. Ecce quę vincula sibi parāt curiosi indagatores sublimiū mysteriorū: quibus arctius cōstringātur in supremo vitę articulo. quos sibi nectūt funes/ quas fabricāt sua sponte catenas cū vitā agūt: quibus alligētur ac obuiaciātur in ipsa mortis angustia. Callidus reuera & astutus est hostis noster/ ciuitatēq; nostrā ea aggreditur parte vt expugnet eā: qua imbecillior est & debilior. Explorat totā vitam nostrā/ mores nostros obseruat: & prospicit in quod malū sumus propēsiore.

cum viuimus / vt ea parte aditū sibi paret ac ingres-
 sum in arcem nostrā. Illic suos erigit arietes: aggeres
 fruit / & machinas adigit . vt qua sumus parte infir-
 miores: valentius nos quatiat ac oppugnet / & tādē
 perfractō muro victor irrumpat. Qui vero in simpli-
 citate fidei ambulantes / nichil talium quæ deus esse
 nobis occulta voluit : inquirere student / neq; ardua
 diuinorum iudiciorum sacramēta rimari : & in tota
 vita sua confidenter ambulant & in hora mortis / his
 aduersarij tentationibus non molestantur / q; in eam
 rem non fuerint propensi . aut si perferant huiusmodi
 hostiles insultus : eis non succūbunt. **C**id sane com-
 pertum est sepius & multis exploratum exemplis : q;
 quæ quispiam vitæ suæ tempore maxime pertracta-
 uit / aut agitatione animi aut crebræ operationis stu-
 dio : ea potissimum in ipso mortis momento obu-
 sentur animo / & frequentius occurrant . Nempe in-
 fixi menti harū rerum spectra & simulacra / aliusq;
 adherentia : tunc acrius animum cient / mouentq;
 ad consimiles sibi & cognatas species. Hinc illa po-
 tius q̄ alia quæuis sese importune ingerunt cordibus
 humanis : de illis crebrior habetur sermo a languen-
 te q̄ alijs quibuscunq; / ob vehementiorem ad illa af-
 fectum . quinimmo si vires corporis sinunt : ad simi-
 lia opera tum agenda hominem perpellunt . Proin-
 de extremo decumbentibus morbo assistere debent
 viri boni & timorati / salutis illorū solliciti : qui nō si-
 nant languidorum oculis ea offerri ad quæ vehemē-
 tius in vita fuerunt affecti / si huiusmodi ardentior
 affectus abducat a deo / & ad mundū inuitet & impel-
 lat. Vxores & liberi / voluptatumq; socij : arceantur
 ab eorum aspectu . nullus de opibus & præteritę vitæ
 pōpa : sermo habeatur coram eis : haberive sinatur.

Doctrina

tantum ea fiant verba in ipsorum præsentia : quæ ad salutem & extremum exitum conducant.

¶ Ob grauitatem peccatorum ante actæ vitæ : non esse desperandum ipsi extrema patienti / de diuina misericordia. Cap. XVII.



Vos in hæitationem dogmatū fidei pertrahere nō potest aduersarius noster : alio plæruncq; aggredditur mucrone / & nouo impetit telo / spei scilicet destitutione : & molimine inducendi in desperationis barathrū. præsertim cū

impurior fuerit ante acta vita / & multis contaminata sceleribus : quæ necdum per salutarem pœnitentiam sint expiata. Siquidem importunius ingerit ipsorum memoriæ ac offert grauiâ crimina quæ perpetrarūt : exaggerat illorū grauitatē ac adauget. quæ dum cōmitterentur : fecit vt nulla aut leuia tantum peccata viderentur. Numerum illorum super arenam maris & guttas aquarum multiplicat : quorū (dum vita manebat) memoriâ prorsus abstulit ac auertit ab ipsorum animo. Nūc seram nimium & tardam esse pœnitentiam cōtendit : cum vix lingua suo fungi potest officio / cum mors vicina premit iacētem. Indignum esse eum dei misericordia suggerit : qui semper eius

Gene. 4. contemptor vixit. Maiorem esse illius iniquitatem q̄ vt veniam mereatur : cum parricida Cain prædicat. atq; ita suadet languido vt de venia omnino desperet : neq; a deo suorum peccatorum remissionem petat / quam nō esset impetraturus. His laqueis innectere moribundos studet hostis antiquus : compertū habens nichil magis obesse recuperandæ sanitati / q̄ si egrot⁹ diffidat se posse sanari. & idcirco medicū ac

cedere recuset / & omnem auerfetur medicinam : q̄
 eam putet sibi nō profuturam. Animarum sane me-
 dicus : deus est. medicina : pœnitētia / veniēq̄ petitio.
 morbi : peccata. ægrotus : peccator. Qui si existimet
 deum non posse aut non velle sibi misericordiā im-
 pēdere : & irritam esse omnē pœnitentiam / inanēq̄
 ad deum cōfugium : quo modo medelā suorū pecca-
 torū cōsequetur? Ceterū huic periculose in abyssū
 desperatiōis p̄cipitationi obuiādū est per cōsidera-
 tiōnē magnitudinis diuinę misericordię : que immen-
 sum est pelagus & inexhaustū / nullo claudit fine / nul-
 lo limite cōstringitur. Quotcūq̄ & quantacūq̄ cō-
 missa sunt crimina (etiam si hominem dederis) a pri-
 ma mūdi constitutione ad ipsam vsq̄ cōsummatio-
 nem seculi vitam producētem : & quotidie grauiter
 peccātē) abolere ea potest diuina miseratio atq̄ ab-
 tergere. Quoniā quantūlibet multiplicata illa pec-
 cata / finita sunt & numero & grauitate : suoq̄ conclu-
 duntur termino. Misericordia vero dei omnē refu-
 git mēsuram & modum : infinita est / intermina est /
 immensurabilis est. Intellige quēso fontem exube-
 rantissimū immēsę altitudinis : iugiter aquas dulces
 affluenter scaturientem : quantūcūq̄ ex eo haurias
 aquarum : nunq̄ exhaurire totū poteris / nūq̄ fundum
 eius attingere / quoniā nullum est. Talis profecto est
 diuinę miseratiōis fons vberrimus : semper gratiam
 suę largitatis profundens in homines / nunq̄ tamen
 deficiens / immo nec decrementum aut diminutiōnē
 sustinens. eque semper immēsus perseuerat : eque ple-
 nus / eque copiosus. Si enim sol suū quotidie lumē cō-
 municat mortalibus / atq̄ per totū mūdi tractū diffu-
 dit : absq̄ sui intimi splendoris detrimēto / & sine cla-
 ritatis suę imminutione. nōne spiritualis ipse sol qui

Doctrina

- Ioan. 1.** illuminat omnē hominem venientē in hunc mundum: diuitias gratiæ suę largietur hominibus/fulgorēq; suarum miserationū diffundet in omnes absq; suę lucis decremento? Quis igitur ad hunc fontem non approperebit/adeo vberem & fœcundum: vt in eo abluat peccata sua/quantūuis multa & grauiā? In hūc (oro) fontem profiliat & se totum immergat homo: quem venantur inferni canes vt in desperationē eum adigant. perinde atq; ceruū ferunt cum a canibus venaticis premitur/vbi fontem offenderit: eum protinus insilire/ & a canū morsibus tutum euadere. Illic enim inuenit suę lassitudinis & æstus refrigerium: viresq; perditas reparat. Adde q; avarus non est nec difficilis/ aquarum huius largissimi fontis distributor: omni petenti libenter impartit/ cunctis ad se venientibus hilariter eas communicat/ nullumq; repellit vnq;. Petiuit quidem Maria Magdalena quæ fuerat in ciuitate peccatrix/ a domino aquam fontis huius viui/multo lachrymarū imbri: & assecuta est ablutionem peccatorum suorū/iussaq; in pace abire.
- Matth. 26.** Petrus etiam post trinam negationē a domino/pietatis oculis conspectus/accurrit ad huius fontis fluenta: amarissq; lachrymis abstersit contractam peccati labem. Sed & latro in cruce sentiens propinquū sibi esse fontem misericordiæ/ & virtutem eius agnoscēs: confugit ad ipsū ocyus/ & aquam huius dulcissimi fontis sibi impartiri suppliciter petiuit. factusq; voti compos: repromissionem eternę hereditatis accepit. Cuius exemplum omnibus proponens beatus pater Gregorius: in homilia euāgelij quod legitur in sabato quatuor temporū aduētus dominici/ait. A spei certitudine: nulla nos malorum nostrorum qualitas/ nulla quantitas frāgat. Præstat magnam veniē fidu-

etiam latro ille venerabilis. qui non inde venerabilis: unde latro. nam latro ex crudelitate: venerabilis ex confessione. Cogitate rogo cogitate: quae sint incōprehensibilia in omnipotente deo misericordiae viscera. latro iste crucis manibus abstractus a facie itineris: suspensus est in patibulo crucis. Ibi confessus/ibi factus: ibi audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso. Lucę. 23. Quid est hoc? Quis tantam bonitatem dei posset dicere: quis aestimare sufficiat? De ipsa poena criminis: peruenit ad praemia virtutis. Idcirco autem omnipotens deus electos suos in quibusdam lapsibus cadere permisit: ut alijs in culpa iacentibus si toto ad deum corde confurgant / spem veniae reddat / ut eis per lamenta poenitentiae: viam pietatis aperiat. Hae Gregorius. Itaque his & similibus exemplis ex sacrorum eloquiorum promptuario desumptis inductus o peccator: accurre velocius ad huius fontis saluberrimos latices. pete misericordiam a domino / & veniam peccatorum tuorum: cum adhuc spiritus subsistit in corpore / ac vitalis adest halitus. & nullam patiēte repulsam: obtinebis haud dubie quod petis. Nam & ipse qui fontem hunc aquae salientis in vitam aeternam / hominibus est elargitus: omnes ad participationem ipsius dulciter inuitat dicens. Matt h. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: ego reficiam vos. Et rursus. Siquis sitit: veniat ad me & bibat. Ioan. 7. Et per Esaiam prophetam. Omnes sitientes: venite ad aquas. Esa. 55. Quae pronus autem & promptus ipse sit ad impendendam omnibus misericordiam: per Ezechielem prophetam ostendit his verbis. Nunquid voluntatis meae est mors impij dicit dominus deus: & non ut convertatur a vijs suis & viuat? Et rursus eodem loco. Convertimini & agite poenitentiam ab omnibus

Doctrina

Iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quare moriemini: domus Israel? Quia nolo mortem morientis: dicit dominus deus. Reuertimini & viuite. Ecce benignus medicus cum summa humanitate omnes inuitat ægros ut ad se veniant: & medicamentum recipiant atque sanitatem. Quis igitur tam obdurata erit fronte: ut oblatam vltro hanc operam respuat, & currat cum infœlice Iuda ad desperationis laqueum? ¶ Verum ut ab hoc extremo animæ interitu atque exitio, scilicet malo desperationis si mus elongatiores ac tutiores: salutare est consilium, in tempore opportuno ac tēpestiue operam medici implorare, antidotum contra morbos animæ sumere, & ad largissimū misericordiæ fontem recurrere: ut ex eo hauriamus aquas in gaudio. cum scilicet in suo cursu adhuc vita nostra cōsistat incolumis: & necdum extremus morbus nos occupat / nec cōpellit ad mortē. Nam qui ad finem vsque vitæ fructū conuersionis differit, pœnitentiāque tunc agit quando mors eū premit ad exitum: an fructuosa sit illa conuersio, & pœnitentia tam sera, haudquaquam certum est. Ambiguū siquidem id relinquitur: an amore iustitiæ tunc cōuertatur qui semper vitā egit in peccatis / an potius timore pœnæ ob instātem & impēdentem mortē. an etiā ex spontanea voluntate proficiscatur ea pœnitentia: an potius ex necessitate, quasi coacta & per vim suscepta, inuito animo. quoniā si nō corripuisset huiusmodi hominē morbus qui mortē minitaretur: nequaquam pœnitentiæ agendæ se forte submisisset nec cōfessus peccata sua fuisset. Et si spes illi esset aut fiducia euadendi imminētem mortem / & conualescendi de eo morbo quo premitur, redeundi que in pristinā sanitatem adhuc pœnitentiam non ageret, neque sua sacer-

doti peccata detegeret. sed totum id negociū differret in futuros dies & annos. Hęc autē spes recuperandę sanitatis quantumlibet graui morbo conficiatur egrotus: & fiducia euadendi mortē in foribus astantem: multos fallit & trudit in interitū eternū: quando ea lactati & allecti: prorogant sui ad deū conuersionē. Quare huiusmodi fiducia sepius vana & inanis: tanq̄ demonis pedica dirūpenda est & totis viribus abijcienda: ne quis ea capiatur incautus/ & incidat in laqueum diaboli. Itaq̄ in mortis articulū procrastinātes vitę suę emendationē: in magno versantur periculo/ ne recte desperationis strangulentur ab hoste. Quoniā etsi a domino dictum sit per prophetam. Quacunq̄ hora ingemuerit peccator & conuersus fuerit: vita uiuet & non morietur. & ergo q̄diu anima corpus vegetat ac inhabitat: pœnitentiā agere & ad dominū conuerti quis possit. difficile tamen est peccatis iam diutius assuetum/ & in his toto suę vitę tēpore versatū: in ipso mortis momēto salutarem edere gemitū/ ac fructiferam deoq̄ placentem facere sui conuersionem. neq̄ securū est vsq̄ quaq̄ & tutum: in illam vsq̄ nouissimā vitę horam prorogare pœnitentię fructū. Quod & beatus Augustinus astruit: loquens de differentibus pœnitentiā. adduciturq̄ eius dictum in decretis/ de pœnitentia/ distinctione septima/ cap. si quis positus. his verbis. Si quis positus in vltima necessitate suę egritudinis voluerit accipere pœnitentiam & accipit/ & mox reconciliatur & hinc vadit: fateor vobis/ & non illi negamus quod petit. sed non p̄sumim⁹ q̄ bene hinc exit. Si securus hinc exierit: ego nescio. pœnitentiā dare possumus: securitatem autem dare non possumus. Nūquid dico: damnabitur? sed non dico: liberabitur. Vis ergo a dubio

Ezechie. 33.

De pœnitē.
distinct. 7. si
quis positus.
Augustinus

Doctrina

Liberari vis quod incertū est euadere : age pœnitentiā
 tū san⁹ es. Si sic agis: dico tibi q̄ secur⁹ es/ quia pœ-
 nitentiā egisti eo tēpore quo peccare potuisti. Si autē
 vis agere pœnitentiā quādo iā peccare nō potes: pec-
 cata te dimiserūt/ & nō tu illa. Ergo (inquit) tene cer-
 tū: & dimitte incertū. Idē quoq; in libro de pœnitē-
 tia dicit: qđ habet in eodē etiā decretorū loco. cap.
 null⁹. Null⁹ expectet agere pœnitentiā: quādo āpl⁹
 peccare nō potest. Arbitrij enim quærat libertatē/ vt
 delere possit cōmissa: nō necessitatē. Qui pri⁹ itaq; a
 peccatis relinquit q̄ ipse relinquat ea: non libere sed
 quasi necessitate cōdenat peccata. Licet em̄ latro ve-
 niā meruisset in fine de om̄i crimine: nō tamē dedit
 baptizatis peccādi & perseuerādi autoritatē. tūc em̄
 baptizat⁹ est: q̄ tūc primū i cruce Christū cōfessusest
 Et paulo post subiūgit author decretorū. Conuersio
 si cōtigerit alicui etiā in fine: desperādū nō est de ei⁹
 remissione. sed quoniā vix vel raro est tā iusta cōuer-
 sio: timēdū est de pœnitēte sero. Quē em̄ morb⁹ vr-
 get & pœna terret: ad verā vix venit satisfactiōē. ma-
 xime cū filij quos illicite dilexit sint præsentēs/ vxor
 & mūdus ad se vocet. Multos solet serotina pœnitē-
 tia decipere. sed quoniā de⁹ semper potēs est: semper
 etiā in morte iuuare valet quib⁹ placet. Cū itaq; op⁹
 sit nō hominis sed dei/ fructifera pœnitētia: inspirare
 etiā potest quādo cūq; vult sua misericordia. & remu-
 nerare ex misericordia: quos dānare potest ex iusti-
 tia. Sed quoniā multa sunt quę impediūt & languē-
 tem retrahunt: periculosum est & interitui vicinum/
 ad mortem protrahere pœnitētiæ remediū. sed ma-
 gnū est: cui deus tūc inspirat. Hęc ille. Quæ omnia/
 surda aure nō sunt prætereūda: sed ali⁹ infigēda ani-
 mo/ quoniā optima sunt ad animarū salutē monita.

Luce. 23.

Gratianus.

¶ Neminem ob cōscientiā vitæ secundū virtutem transactæ / sibi placere debere: neq; magnum quid de se existimare. Ca. XVIII.



Vos autē ob ante actę vitę impuritē ac improbitatē nō potest hostis in desperatiōis foueā præcipitare / neq; spei firmitate destituere / hos alio ad oritur ingenio / viaq; & modo pœnitentis diuerso inuadit. Afflare nāq; ipsos enitiū inani superbiæ vēto / & attollere in altū: vt lapsu grauiore ruāt. Cōpertū certe habet aduersari⁹ noster suo ipsius periculo edoctus: q̄ grauis est ruina / sui extollētīā cōsequēs. q̄ præceps ruit in imū: qui se animo effert & exaltat. Idcirco obijcit clādestina fuggestiōe ipsis qui virtutē ac iustitiā coluerūt / cū iā laquidi decūbūt: q̄ cādide & inculpate vitā egerint. q̄ pij in deū / in pauperes munifici / in oēs humani seper fuerint: q̄ recta / & nūq; reprehēsiōi obnoxia effulserit claro splēdore ipsorū vita. Dehinc adijcit & laude digna ipsorū etiā in extrema illa infirmitate / officia. q̄ ex quo aīo tulerit morbi grauitatē / & quis aduersa: q̄ secularia oīa negocia p̄fus mēte sua excusserint / q̄ deniq; ea sola q̄ dei sūt corde meditēt / ore sonēt / & opere q̄rāt. Proinde deberi illis merito regnū celorū: p̄tē factas eis esse iā cœli fores / quas cōtinuo post obitū ingrediāt. Et illud postremū ingerit animis sibi placētib⁹ / hostis astut⁹: dignos ipsos esse / q̄ ob singularē vitę exactę probitatē āgelicis manib⁹ deferant in domos ęthereas: & cœlestibus exequijs honorētur. Hęc plane sunt ātīqui serpētis suasiōes: quib⁹ deferre molitur homines supra pinnaculū templi vt mittat eos deorsum / deturbet ab alto / atq; in præcipitium detruat. ¶ Verū contra omnia hęc machinamēta & iacu

Doctrina

- 2** **1a** inimici/in primis opus est animū armari & circū-
sepiri timore dei/futuriq; iudicij metu iam iāq; instā-
tis: in quod omnia reseruantur eius opera discutiens-
Prouer. 15. da. Per timorem enim domini (vt ait Sapiens) decli-
Eccli. 27. nat omnis a malo. Et teste Ecclesiastico/si non in ti-
A more domini tenueris te instanter: cito subuertetur
domus tua. fabrica scilicet virtutū in animo tuo con-
structa/sed valido superbię vento concussa: dissipabi-
tur facile & collabebitur. Itaq; illo dei timore vt soli-
do fundamēto innixus/qui his infestatur inimici spi-
culis: cogitet anxius neminē scire an amore vel odio
Eccēs. 9. dignus sit/neq; id quoq; sibi de seipso constare. Q; si
electorum numero se fiducia suarum virtutum ipse
ascribat: formidandum summopere esse/ne de repro-
borum turba apud deum habeatur. Neq; id illū red-
dere iustum in conspectu domini/apud se reputet: q;
nullius mali sibi sit conscius. cum dicat Apostolus.
1. Corin. 4. Nichil michi conscius sum: sed non in hoc iustifica-
D tus sum. Vereatur item & timeat in districto diuini
iudicij examine multa sua opera improbari: quę ipse
se recta iudicat & diuine maiestati accepta. cū dicat
Prouer. 14. Sapiens. Est via quę videtur homini iusta: nouiss-
ma autem eius deducunt ad mortem. Quod & bea-
Iob. 9. tus Iob confirmat: dicens de deo rerū omnīū conditō-
re. Quantus sum ego vt respondeam ei: & loquar
verbis meis cū eo? Qui etiam si habuero quippiā iu-
stum: nō respōdebo/sed meū iudicē deprecabor. Et
cū inuocātē me exaudierit: nō credo q; audierit vocē
M meā. Et paulopost eodē loco. Si iustificare me volu-
ero: os meū cōdēnabit me. Si innocētē ostēdero/prā-
nū me cōprobabit. Etiā si simplex fuero: hoc ipsum
ignorabit anima mea. Et rursū paucis interiectis. Ve-
rebar oīa opera mea: sciēs q; nō parceres delinquētī.

¶ Illud itidem animo voluet: neminē in sua ipsius
 causa iudicē esse debere ad præmium designādum.
 Christum solum a deo patrem constitutum esse iu-
 dicem vniuersorum. quemadmodum de se dicit bea-
 tus Paulus. Qui autē iudicat me: dominus est. Pro- 1. Corin. 4.
 inde arrogantis esse animi & plus æquo sibi vendicā-
 tis: si domini sui iudiciū præripere & anteuertere au-
 deat/atq; de se ipso ferre tentet sententiā: quæ a iudi-
 ciaria domini sui potestate ac tribunali solum pēdet/
 & est definienda. Nimirum & insolens est miles ille/
 nimiumq; sibi tribuens: qui spectante suo rege mili-
 tans/decerni sibi triumphū debere cenlet. domini sui
 ius ac munus sibi ipsi arroganter vsupās: cum illud
 ex solius regis pendeat iudicio/ sit ne pugna illa quā
 gessit: digna honore triūphali. ¶ Præterea stultū est
 ante exitum pugne de victoria gloriari: quæ pugnā-
 tis manibus adhuc eripi potest. Insanum est etiam &
 insensati hominis opus/de foelicitate nauigatiōis se-
 se iactitare/glorianterq; loqui: anteq̄ nauis in portū
 sit subducta. cum posset illa quę per tēpestuosos ma-
 ris fluctus procellososq; vortices perstitit infracta &
 incolumis: in ipso portus ingressu impingi ad scopu-
 lū & naufragio perire. Haud secus q̄diu anima cor-
 pori coniūgitur & in carnis moratur domicilio/sicut
 post tetra crimina in meliorem cōmutari sortem po-
 test per pœnitētiā: ita & post opera bona assiduūq;
 virtutis vsu/potest in ipso vitę exitu prolabi in de-
 terius/atq; a bono desciscere. Quid ergo gloriabitur
 homo iā moriturus de transactæ vitę synceritate: qui
 vno momento per inanem in se gloriationem potest
 omnem bonorum operū prius factorum fructū per-
 dere /atq; dei gratia per mentis tumorem excidere?
 Qui se existimat stare (vt inquit Apostolus) videat 1. Cori. 10.

- Gala. 6.** ne cadat. & solide in se subsistat per humilitatem: ne inaniter rapiatur supra se per extollentiam. Nam qui existimat se aliquid esse cum nichil sit: ipse se seducit. vt etiam scribit Paulus. Sibi ipsi enim ad blanditur & applaudit/ quasi suæ salutis securus: ob deductam in operibus iustitiæ vitam. sed se ipsum decipit: fallitq; & fallitur vna. Enimvero vbi meditatur immanis hostis insidias/ vbi adhuc dolos molit & fraudes innectit: quæ potest haberi tuta securitas? Pugnas ciet infestus aduersarius/ instat/ vrget/ premit: & securus in vtrinq; aurem dormiet qui tam acriter oppugnatur? At cõtra hanc impugnationem valde noxi-
Isidorus. am nos præmuniens Isidorus inquit. Non tibi quicq; arroges/ non te iactes/ non te extollas insolenter: nichil de te præsumas/ nichil boni tibi tribuas. Et beatus Gregorius/ grauitatem periculi quod in hoc pugnæ genere (si succubimus) incurrere possumus ostēdens: ait. Quisq; reminiscendo bonum quod gessit/ dum se apud se erigit: apud authorem deum humiliatus cadit. Idem quoq; in homilia euangelij/ quod in plerisq; locis legitur in quarta dominica aduentus domini: ad humilitatem amplectendam omnes studiose exhortatur: dicens. Cum bona fratres agitis: semper ad memoriam mala acta reuocate. vt dū caute culpa cõspicitur: nunq; de bono opere incaute animus letetur. Magnus esse vnusquisq; studeat: sed tamen aliquo modo esse se nesciat. ne dum sibi magnitudinem arrogãter tribuit: amittat intus quod erat.
Esā. 5. Hinc etenim per prophetam dicitur. Vq; qui sapientes estis in oculis vestris: et corã vobismetipsis prudētes. Hinc etiam Paulus dicit. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Hinc quoq; cõtra superbientem
Roma. 12. Saul dicitur. Cū esses paruulus in oculis tuis: caput
1. Regū. 15

in tribubus Israel factus es. Ac si aperte diceret. Cū
 tu te paruulum conspiceres: ego te præ ceteris magnū
 feci. Quia vero tu te magnū conspicias: a me paruus
 æstimaris. At contra cum Dauid regni sui potentiā
 coram arca domini saltando despiceret: dixit. Ludā 2. Regū. 6.
 & vilior siā plusq̄ factus sum: et ero humilis in oculis
 meis. Quē enim nō extolleret: ora leonū frangere/ 1. Regū. 17.
 vrsorū brachia dissipare/ despectis prioribus fratribus
 eligi / reprobatoq̄ rege ad regni gubernacula vngi / 1. Regū. 16.
 timendū cunctis vno lapide Goliām sternere/ a rege
 proposita extinctis allophilis numerosa præputia re- 1. Regū. 17.
 portare: regnum ex promissione percipere/ cunctūq̄ 1. Regū. 18.
 Israeliticū populū sine vlla postmodū contraditio- 2. Regū. 5.
 ne possidere? Et tamē in cūctis se despicit: qui in suis
 oculis se esse humilē cōfiteatur. Si igitur etiam sancti
 cum fortia agunt/ de semetipsis vilia sentiūt: quid in
 sua excusatiōe dicturi sunt qui sine opere virtutis in-
 tumescūt? Sed & si quelibet bona assint opera: nulla
 sunt nisi & humilitate condiātur. Miranda quippe
 actio cum elatione: nō eleuat sed grauat. Qui enim
 sine humilitate virtutes congregat: quasi in vēto pul-
 uerē portat: & vnde aliquid ferre cernitur: inde dete-
 rius cecatur. Hęc Gregorius. Cuius salutaribus moni-
 tis aures accōmodās in extremo vitę suę momēto po-
 situs/ ad detorquēda inanis gloriatiōis tela periculo-
 sa: peccata graua quę prius perpetravit / sceleraq̄ &
 flagitia quę sepius cōmisit in mētē reuocet: seq̄ igno-
 rare profiteat̄ an sufficienti pœnitudine illa diluerit:
 an satis pœnitētię in illorū satisfactiōne peregerit. vt
 monet Ecclesiasticus. De propitiato (inquit) peccato Eccli. 7.
 noli esse sine metu. Et Sapiēs. Beatus homo qui sem Prouer. 28.
 per est pauidus. Voluat etiā sollicit: q̄ omnia opera
 sua/ æquissima diuini iudicij læce sunt mox trutināda/

Doctrina

districteq; discutienda . trepidet anxius ob propin-
quum illud iudiciū : & timore sancto se coerceat / ob
totius vite rationem coram supremo iudice reddend-
dam. Neq; in se causam vllam inueniet : ob quā de-
beat insolescere / aut de suis operibus gloriari. cū igno-
ret profus (vt iam dictum est : & iterare nō piget) an
eadem deo sint accepta : aut ob malū aliquod in mē-
te latitans & permixtum illis vel postea perpetratū /
eidem ingrata atq; inuisa. Multi nempe arbitrantur

obsequium se prestare deo in suis operibus / errore ali-
quo ducti : quibus tamen ipsum grauius offendunt.

Gene. 4.
2. Regū. 6.

vt Cain : de frugibus terræ sacra faciens / Oza exten-
dens manum ad arcam domini : ob boues calcitrans

Leuit. 10.
1. Regū. 13.
2. Paral. 26

tes / filij Aaron : arreptis thuribulis offerentes deo sa-
crificium / Saul immolans hostias / & Ozias rex ado-
lens thimiama : sunt exemplo. Quare aliquid tale

sibi accidere potuisse in transactis operibus suis : me-
rito timere quisq; debet. ¶ Sed admittamus bona
fuisse illa opera & pergrata deo : nonne eadem ipso
deo præcipuo authore sunt facta / & eius adiutorio?

Ioan. 15.
2. corin. 3.

cum dicat ipse discipulis suis. Sine me nichil potestis
facere. & beatus Paulus vere astruat / q̄ sufficiētes nō
sum⁹ cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis : sed suf-

Iaco. 1.

ficiētia nostra ex deo est. Nonne & dona gratiarum
quibus adiuti confecimus ea opera : diuino indultu
nobis sunt tradita? cū scribat beatus Iacobus / q̄ om-
ne datum optimum & omne donum perfectū / de sur-
sum est : descendens a patre luminum. & sanctus Io-

Ioan. 3.

annes in euangelio perhibeat : q̄ non potest homo ac-
cipere quicq; nisi fuerit ei datum de cælo. Quocirca
deo soli vt primario totius boni operis authori / illa
referre accepta debemus : & nō nobis sed nomini eius
gloriam ascribere. Cur igitur debitam deo gloriam /

nos infideles serui & alienæ rei raptores : nobis ipsi
 tribuere studemus? more serui illius iniqui qui lucrū
 ex domini sui pecunijs partum (cui soli laborare de-
 bet) sibi ipsi referuaret : & inuito domino detineret
 alienum. Cur (oro) benefactorem nostrum suis (quę
 nobis præstitit) beneficijs ingrati impugnam⁹ : & pro
 uocamus ad irā ijs ipsis donis quæ ab eo accepimus?
 Siccine gratias agimus deo de susceptis ab ipso bo-
 nis : cum illa vertimus ad concitandam ipsius contra
 nos indignationē? Nonne de nobis cum ita rem agi-
 mus : vere dici potest ille sermo propheticus? Nun- Esaie. 10.
 quid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea :
 aut exaltabitur serra contra eū a quo trahitur? Quo-
 modo si eleuetur virga contra eleuantem se : & exal-
 tetur baculus qui utiq; lignum est. ¶ Rursum opera
 illa / ob quæ nobis tantopere placemus & nos magni
 facimus : debita sunt / & ad quæ facienda obstringi-
 mur diuino præcepto. Illis igitur nulla debetur gra-
 tia / nullaq; ex sua conditione remuneratio : sed ex so-
 la dei beneficentia / quæ nobis nichil tale commer-
 itis ampla confert præmia. Quod & hoc paradigma-
 te / dominus & legifer noster : in euangelio nobis de- Lucæ. 17.
 monstrat. Quis vestrum (inquit) habens seruū aran-
 tem aut pascentem boues : qui regresso de agro dicat
 illi statim. transi & recumbe. & non dicit. para quod
 cœnem / & præcinge te & ministra michi : donec man-
 ducem & bibam / & post hæc tu māducabis & bibes.
 Nunquid gratiam habet seruo illi : quia fecit quæ ei
 imperauit? Nō puto. Sic & vos cum feceritis omnia
 quæ præcepta sunt vobis : dicite. serui inutiles sumus :
 quod debuimus facere fecimus. At quotus quisq; est
 nostrum qui sana consciētia asseuerare possit se fecis-
 se omnia quæ sibi a deo præcepta sunt? Nōne verius

Doctrina

Iaco. 3.

de nobis ipsis id beati Iacobi verbū protulerimus: quod in multis offendimus omnes? Et si serui inutiles sumus: cum fecerimus omnia quę præcepta sunt nobis: quales nos existimare debemus aut appellare/cū parum aut nichil eorū quę nobis præcepta sunt fecerimus: sed sepius ea aut trāsgressi fuerimus aut omiserimus? Constat itaq; nullā nobis materiā aut rationem legitimā relinqui: qua de nostris operibus apud nos iuste gloriemur. ¶ Præterea in his ipsis operibus vix granū sine palea inuenitur: vix argentū sine scoria: vix vinū sine aqua. Plerūq; permixtum illis aliis: quid est: quod opus extenuet aut imminuat: aut remissius quā par est/aut negligētius quā sit æquum: aut tepidiore affectu illa exercemus quā oporteat. vt cū propheta dicere vere possimus: quod facti sumus immundi

Esaie. 64.

omnes nos/ & quasi pānus mēstruatę: vniuersę iustitię nostrę. Cū igitur vereri merito debeam; nequid in illis operibus nostris mancū/frigidū aut obliquū sit: cū etiā deū orare semper oporteat vt adiuuet infirmitatē nostrā/ & quod deest perfectionis sua benignitate suppleat: quid est quod de illis gloriari merito possimus/ aut nos ipsos magnificare? quid est quod more pauonis caudā extēdam; & admiremur stellatas miro decore plumas: pedū autē deformitatē nō attēdamus/ qua cōspecta decidat omnis illa ob formę elegantiam gloriatio. ¶ Neq; obijciet quisquē recte Ezechiā regē Iuda cōmendatissimū: qui accepto prophético oraculo/ quod esset moriturus eo quo laborabat morbo:

4. Reg. 20.

Esaie. 38.

conuertit faciē suā ad parietē/ & orauit dominum dicens. Obsecro domine/ memēto quęso quomodo ambulauerim corā te in veritate/ & in corde perfecto: & quod placitū est corā te/ fecerim. In quibus verbis cōmemorare bona opera sua: & proprias laudes prædi-

care dinoscitur. Enimvero id fecit: nō gloriabūdn] nō se iactās/nō gestiēs animo ob sui cōplacētiā/nec se respiciēs. sed suppliciter orās cū lachrymis: & soli deo gloriā benefactorū suorū tribuēs. immo de acceptis beneficijs diuinę directionis gratias agens: vt ad ampliora potioraq; sumēda redderetur idoneus. Et huiusmodi cōmemoratio bonorū operū suorū / fuit quēdā professio q; diuina gratia ac bonitate adiutrice illa exercuerat / & humilis ad deū oratio: vt cōtēplatione illorū deo authore benefactorū / producerēt illi vita in lōgiora tēpora / quod & impetrauit. Quare in eo Ezechię factō nichil est: quod iure reprehēdi queat. quoniā meritorū suorū fiduciā nō innitebat: sed diuinā tātū misericordię ad quā cōfugiebat. Et ergo dignus habit⁹ est: qui a deo exaudiret. tātū abest: vt in ea oratiōe sua deū offēderit. Sic & infirmus omnino exuat suorū bonorū operū cōfidētiā: & ad solā dei bonitatē refugiat / in qua speret se saluū fore.

¶ Contra terrōre mortis / animorū immortalitatē: & cōtra timorē instātis iudicij ab hoste immissū / diuinā misericordiā esse obijciēda. Cap. XIX.



Lia insuper exacuit tela noster aduersarius nouasq; sagittas: quib⁹ hominē statim de hoc mūdo trāsiturū confodiat: horrorē inquā mortis in foribus astātis: quā natura ipsa refugit / & cuius specie imagineq; maiorem in modū cōturbatur / vsq; adeo vt interdū mentē ipsā de gradu suo deiiciat. Neq; id ab re cōtingit. Nā cū vnūquodq; naturali quodā instinētū expectat sui cōseruationē suęq; existentie incolumitatē: exterminiū & corruptionē sui ipsi⁹ supra modū exhorrescit / vt molestā & inimicā naturę. hinc Aristoteles in

Aristoteles.
Boetius.

Ethicis perhibet: maxime omnium terribile esse mortem. Et Boetius in libro de consolatione philosophica dicit: quod omne animal tueri salutem laborat: mortem vero perniciosam deuitat. Cumque haec spicula sentit hostis noster non esse satis valida ad prosternendum hominem: quod a nonnullis forti pectore facile retundantur: euibrat & alia iacula longe nocentiora: iudicij scilicet extremi in exitu vitae futuri timorem & metum. Vbi in examen ventura sunt omnia totius exacti temporis opera: cogitatus & verba. vbi reddenda acceptorum talentorum ratio: & singula etatis momenta: quae fructum attulerint operis: expedita. vbi denique expectanda sententia irreuocabilis: & a qua fieri non possit prouocatio. & ille status aut vitae aut mortis aeternae subsecutus: qui perpetuo duratur sit: neque in alium unquam commutari potuerit. Haec omnia suggerit animo moribundi hominis: inimicus noster. quae cum sanus et sospes vitam degeret: studuit ab oculis mentis eius diuertere & detorquere: ne impedimento essent licentius peccandi: neve animam a peccato deterrerent. Haec inquam frequenter obiecit mentis iam infirmae obtutibus: ut terrorem illi & horrorem incutiat: ut anxium hominem excrucient trepido metu: ut inuitum reddant & obluentem ad subeundam mortem: aut bona destituant spe salutis: antequam rei veniat discrimen. ¶ At vero contra hostiles has molitiones munitum esse agnostam oportet armis: quae haec tela haud magno negotio reiciant. utpote ratione incolumi & recta: quae ostendat nichil esse in morte quod horrorem debeat ingerere: aut mentem sua sede dimouere. eam esse legem vniuersis sublunari ambitu comprehensis constitutam: quod post momentaneam subsistentiae suae morulam tendant in interitum ac corruptionem. natu

ram carnis nostræ/mortalitati esse obnoxiam : neq̃
 eam infuetum aliquid pati suæve conditioni contra
 rium/cum deurgit ad putredinem. nō nobis solum
 impositum esse illud iugum: sed & proavis & atavis
 nostris/quinimmo cunctis hominibus quantūvis cla
 ris & illustribus/atq̃ alto maiorum stēmate progna
 tis: quos omnes vna manet mors / & calcanda semel Horatius.
 via leti vt ait poeta. Quod & beatus Gregorius com
 probat ita dicens in Registro. Vita nostra similis est Gregorius.
 nauiganti. Is nāq̃ qui nauigat: stet/sedeat/iaceat/va
 datq̃: impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus.
 Quia siue vigilantes/siue dormientes/ siue iacentes/
 siue ambulantes/siue volētes siue nolētes: per mome
 ta temporum quotidie ad finem ducimur. Cōfirmat
 idem & Seneca: cum ait in epistolis. Nemo tā impe Seneca.
 ritus est vt nesciat sibi quandoq̃ moriendū. tamē cū
 prope accesserit: tergiuerlat/sfremit & plorat. Quid
 fles miser? quid trepidas? Omnes hac necessitate duc
 cūtur. Eo ibis: quo omnia eūt. Ad hāc legē natus es.
 Hoc patri tuo accidit/hoc matri: hoc maiorib⁹. hoc
 omnibus ante te: hoc omnibus post te. Quantus te
 populus moriturorū sequetur: quantus comitabitur?
 Fortior (vt opinor) esses: si multi tibi cōmorerētur.
 Multa milia hominum / hoc ipso momento quo tu
 mori dubitas: animam varijs generibus emittunt.
 An non putabas te ad id aliquando peruenturū : ad
 quod semper ibas? Hęc Seneca. ¶ Ostendat item vi
 gor ipse rationis infractus & fide firma subnixus: nō
 totum more pecorū interire hominē: vt nichil ipsius
 post mortem supersit incolume. corpus quidem vita
 priuari & morte exanimari: animā vero manere su
 perstitem/neq̃ quicq̃ detrimēti in sua substantia per
 mortis violentiam accipere. Quomodo enim reges

Doctrina

- & p̄sides in sanctorum, martyrum inuictā constan-**
tiam immani furore debacchātes: cum corpora eorū
Matth. 10. occiderunt/ dicti sunt a summa veritate animā occi-
dere non posse: si nō maneret anima corpore soluta/
in sua immortalī natura persistēs integra? Quo item
Sapient. 3. pacto a Sapiente dictū est: q̄ iustorum animę in ma-
nu dei sunt/ & nō tanget illos tormentū mortis: si cō-
munē sustineret anima rationalis cum corpore interi-
tu? Insuper dominus noster & deus de sua morte &
Ioan. 10. resurrectione ipsam cōsecutura loquēs: ait. Potestatē
habeo ponēdi animā meā: & iterū sumendi eā. Ne
mo tollit eā a me: sed ego pono eā/ & iterū sumo eā.
Lucę. 23. Eandē quoq; iā morti propinquus in manus patris
sui cōmēdauit: & spiritū tradidisse atq; emisisse scri-
Eccēs. 3. bitur. Qui autē hęc fieri potuerūt: si vnus est (vt sens-
tiūt apud Ecclesiastē impij) hominis et iumētorū in
terit? si cū corp⁹ iacet exanime: & anima tenues eua
nescit in auras? Ad hęc. diuiti illi iactāti bona q̄plur-
Lucę. 12. ima se habere reposita in multos annos: dictū est a
deo. Stulte: hac nocte repetūt animā tuā a te. Quod
autē reposcit vt depositū: manet vtiq; cū redditur.
Quis enim id quod secūdū substātiā nō manet sed
disperit: repetere recte dicet? Demū p̄pheta in psal-
Psal. 21. mo: deo cōcinit. laudabūt dominū qui requirūt eū:
viuēt corda eorū in seculū seculi. Vbi nomine cordi-
um/ animæ rationales intelligūtur: vt & sæpe alias.
quę cū in seculi seculi victurę pronficient: nūq; obitū
aut interitū suę substātię perferēt. Sed operosum ni-
mis esset: omnia sacrorū eloquiorū testimonia ad eā
rem cōprobandā faciētia/ hic in vnū acerū cogere.
cū idipsum solida fide teneri debeat & credi potius:
q̄ varijs approbationib⁹ fulciri. Ea igitur firmata ba-
si q̄ anima nostra immunis est interit⁹/ et nescia mor-

talitatis: quid est quod mortē ipsam exhorteamus? cum per eā potius fiat trāsitus ad meliorē vitę sortē & statū: & magnas ipsa nobis afferat & multas (si recte sapim⁹) vtilitates. Est em̄ mors ipsa (vt quidā sāctorū ait) carceris finis / & laboris cōsummatio: ad portum applicatio / peregrinatiōis adimpletio / oneris grauissimi depositio. de equo furioso descētio / de domo ruinosa liberatio: omnium ēgritudinū terminatio / omnium periculorū euasio: omnium malorū cōsumptio & diruptio. debiti naturę solutio: redit⁹ in patriā / ingressus in gloriā. Quis ergo iuste eā inhorrescat & trepidus expauescat: quę tātis nos afficit cōmodis / tātis cumulat beneficijs? Cōsonat p̄cedēti sētētię & illud Augustini verbū super Ioānē. Quid est mors? relictio corporis depositio sarcinę grauis: sed si alia sarcina nō portet / qua homo p̄cipitet in gehēnā. Et Lactāti⁹ libro diuinarū institutionū tertio aduersus gētes. Siquis nos interroget (inqt) vtrū ne bonū sit mors an malū: respōdebim⁹ / qualitātē eius ex vitę ratiōe p̄dere. Sicut em̄ vita ipsa bonū est si cū virtute viuat / malū si cū scelere: sic et mors ex p̄teritis vitę actib⁹ pōderāda est. Ita fit / vt si vita in dei religiōe trāfacta sit: mors malū nō sit / quia trāslatio est ad immortalitātē. si aliter: malū sit necesse est / quoniā ad æterna supplicia trāsmittit. ¶ Verū quod nō sit viro forti extimescēda mors: in principio huius operis latius protractus est sermo / & idcirco nunc cōtrahendus / progrediendūq; ad alterius sagittę confractiōnē: quā diximus ab hoste antiquo in semianimē hominem mortiq; vicinum cōtorqueri solitā: diuini scilicet iudiciij examen & scrutiniū / nō esse tūc cū iam ipsius exitus e mūdo ingruit hora: anxie timēdū. P̄videri enim debuit & timeri: quando vita in suo cursu cōsistebat

Quæ bona
nobis affert
mors.

Augustinus

Lactantius.

Doctrina

- vegeta & florens. & timor ille cōgruens ei tempori: reddidisset hominem tutum prorsus & securū in hac temporis angustia. Dum bona valitudine & robustū adhuc erat corpus/nulloq̄ grauātū languore: tūc ante oculos nostros obuersari debuit assidue illud beati Iacobi verbum. Ecce iudex ante ianuam assistit.
- Iaco. 5. Quo redderemur quotidie solliciti ad nos ipsos dijudicandos/examinandos & condēnādos nostro ipsorum iudicio: vt hac ratione & via durū euaderemus dei iudiciū. cum dicat Apostolus. q̄ si nos ipsos dijudicaremus: nō vtiq̄ dijudicaremur. Ingenue ergo fateor: timendum esse diem iudicij. non illum solum qui in cōsummatione seculi futurus est omnibus generalis: sed eum qui in ipso vitę exitu cuiq̄ particulatim imminet. quoniā tunc diuine sententię ea fertur in hominem censura: quę perpetuo duratura est lege immutabili/quęq̄ in ipso consummatorio seculi iudicio cōfirmabitur tantū/ & publico decreto approbabitur. Timendus sane dies hic est iudiciari⁹: in transitu ab hoc mundo cuiq̄ instans. quoniā in quo statu inuenietur homo/in eo temporis puncto: in eo iudicabitur/ & c̄ternum manebit. quēadmodum ait
- Cyprianus. beatus Cyprianus in sermone de mortalitate. Qualem te (inquit) inuenit deus cum vocat: talē pariter
- Eccēs. 11. & iudicat. Cui consonat Ecclesiastes dicens. Si ceciderit lignum ad austrū aut ad aquilonē: in quocūq̄ loco ceciderit: ibi erit. Quoniā anima per mortē a corpore succisa/siue in feruore charitatis hinc abierit
- Hiere. 1. per austrum intellectu: siue in algore & frigore malitię/per aquilonem (a quo panditur omne malum) insinuato: in ea dispositione perpetuo est permanens. Sed tunc timendus est hic dies: cū timor ille fructuosus est ac vtilis/vt calcar assidue nos instimulans

ad rationem de acceptis talentis cū deo quotidie ponēdam. & quod nostro deest calculo atq; ratiocinio: peruigili studio operaq; sedula opportune cōparandum ac emendandū. Sic timuerunt hūc diem sancti & virtute celebres viri cū viuerēt: eoq; timore incitabantur ad diligentiore[m] virtutis vsum / & ardentius exercitiū. Ad hūc etiā timorē exhortatur omnes sacer Gregorius in homilia euāgelij; quod in secunda dominica aduētus domini legitur: his verbis. **Gregorius.** Illum quidem diem fratres charissimi: illum ante oculos ponite. & quicquid modo graue esse creditur: in eius comparatione leuigatur. Illum (inquam) diem tota intentione cogitate / vitam corrigite / mores mutate: mala tentantia resistendo vincite / perpetrata autem fletibus punite. Aduentum nanq; eterni iudicis tanto securiores quādoq; videbitis: quanto nunc districtiōne eius timendo p̄uenitis. Idem quoq; in homilia euāgelij quod in octaua Paschæ legi solet / de iudice Christo loquēs: ita omnes admonet. Vitā vestram fratres: moresq; cōponite. is qui mitis surrexit a morte: q̄ districtus in iudicio veniet p̄uideate. Hunc tanti pauoris iudicē ante oculos ponite: hunc venturū timete. vt hunc cū venerit: nō timidi sed securi videatis. Timēdus est ergo: ne timeatur. Terror eius nos ad vsum bonæ operationis exerceat: metus illius vitam nostram a prauitate compescat. Michi fratres credite / quia tāto tūc erimus securi de eius sententia: quanto nūc satagimus / suspecti de culpa. Certe si aliquis vestrum cū suo aduersario causam dicturus in meo iudicio die crastina esset exhibendus: totam fortasse noctem insomnem duceret. quid sibi dici posset / quid obiectionibus responderet secum sollicita & estuanti mente versaret. ne me inueniret aspe-

rum: vehemēter metueret: ne apud me appareret no-
xius: formidaret. Et quis ego: aut quid ego? Nimi-
rum non longe post futurus post hominem vermīs:
post vermē puluis. Si ergo tāta cura pertimescitur iu-
diciū pulueris: qua intētionē cogitādū est/qua formi-
dine prouidēdū tātq̄ iudiciū maiestatis? Hęc Grego-
rius. A cuius sentētia & exhortādi ratione nō abhor-

Origines.

ret Origenes: in homilia nona super Leuiticū ita dif-
serēs. Si tibi hodie diceretur quia iudex seculi vult te
die ~~castro~~ viuum exurere/ & his auditis si esset tibi
vnius diei spacium liberū: quāta faceres/ quomodo &
per quos discurreres/ q̄ humilis q̄ lugēs q̄ fordid⁹ ob-
errares. Nōne effunderes omnem pecuniā tuā in eos:
quorū intercessionē euadere te posse crederes? nonne
omnia quę possideres: redēptionē faceres animę tuę?

Qz si etiā aliquis te retardare aut impedire tentaret:
nōne diceres/ pereāt omnia pro salute mea: nec quicq̄
remaneat/ tantū vt ego viuā? Hoc quare faceres? quia
inde non dubitares. Et quid ego dico de certis indu-
bitatisq̄ periculis? tātūmodo si causa dicēda sit apud
iudicē terrenū: cuius aliquē metū ex legibus quis ha-
bere videatur. Nōne omnib⁹ vigilijs excubatur: ad-
uocati/ patroni/ munera pręparātur? etiā si anceps pe-
riculū sit: aut etiam solius notę metus vel dāni ratio.

Roma. 14.

Nos quare nō credimus: q̄ omnes astabim⁹ ante tri-
bunal Christi? Hęc Origenes. At vero serus videtur
et intēpestius ille iudicij metus: qui in ipso vitę exi-
tu concipitur primū & apprehēditur. In toto autem
viuendi tranfacto spacio/ ne semel quidem animo oc-
currit ille dies examinis iudiciarij: nec sollicitum ad-
egit hominē ad melioris vitę fructum. Nunquid tamēn
deijcere animū anxio timore & prosternere de-
bet is/ qui sub ipsum ex hoc mūdo transitū/ primum

metu diuini iudicij concutitur: cuius semper vixit ad eam vsq̄ horā immemor? Nequaquā sed ad diuinę misericordię anchoram confugere: illi firmiter affigi & hærere/in eaq̄ totā suam spem reponere/& eo remedio liberabitur a naufragio/scopulosiq̄ anfractibus. Idem a seueritate rigida supernę iustitię prouocet (dum adhuc tempus est miserendi) ad consistorium diuinę misericordię: illam sibi patronam suę causę assumat/& obtinebit in iudicio victoriā. Illa sit confugium vnicum cuius: in anxietate mortis constituto. ad eam tanq̄ ad asylum/tanq̄ ad portum/tanq̄ ad tutam stationem recurrat intrepidus & cum fiducia: & salutem consequetur. Eandem sedulus imploret: dicens ex toto cordis affectu. Miserere mei deus: se- Pfal. 50.
 cundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meā. Miserere mei domine/quoniam infirmus sum: sana me domine/quoniā cōturbata sunt omnia ossa mea. Ego dixi domine/miserere mei: sana animam meam quia peccaui tibi. Domine nō secundum peccata nostra facias nobis: neq̄ secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Domine ne mineris iniquitatum nostrarū antiquarum: cito anticipent nos misericordię tuę/quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui domine libera nos/& propitius esto peccatis nostris propter nomen tuū. Non intres in iudicium cum seruo tuo domine: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaberis domine: domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est/quia apud dominū misericordia: & copiosa apud eum redemptio. Et cętera id genus diuinę misericordię inuocatoria

Doctrina

pia verba (vt syncerus illi suggeret affectus) proferat.
Vt igitur toti⁹ rei summa colligatur: si in agone mor-
tis positus o homo/peccatorum tuorum recordatiōe
& immanitate terreris: conuola ad dei misericordiā/
& saluaberis. Si e diuerso bonorū operum tuorum fi-
ducia pulsaris ac titillaris: ea reiecta/in solius miseri-
cordiē dei sinum te proijcias/& in illa tantum confi-
das. Si deniq; instātis iudicij tremore exagitaris: in-
nitere dei misericordiæ vt solido fundamento / &
non corruēs.

¶ Q; gehennę supplicia/ab aduersario obiecta
animo infirmi: non debent metum illi incu-
tere neq; trepidationem inferre. Cap. XX.



T autem grauiore mole horroris
ac trepidationis obruat & oppri-
mat hominem morti iam ppin-
quū hostis noster: obiectat eius
animo nonnunq; horrenda gehē-
næ supplicia/ignem inextingui-
bilem/tenebras exteriores/ fletū
& stridorem dentium/caminum ignis sulphure com-
mixti/& stagnum sulphureum/ascendentemq; dam-
natorum fumum in secula seculorum. His imagini-
bus & terriculamentis concutere mentem infirmi an-
nititur / vt horum tristi specie attonitus ac conster-
natus / vix se colligere possit ad salutarium rerum
meditationem & cogitatum. Eos cruciatus deberi,
peccatis illius adiicit: & iampridem ipsum esse me-
ritum æterna gehennæ incendia. iam iamq; rapiens
dam eius animam in puteum abyssi vnde nunq; libe-
retur: sepe etiam falso comminatur. q; in inferno nul-
la est redemptio: iterū atq; iterū illi suggerit. nō salu-
ti ipsius consulere studens: sed æternum ipsi inducere

interitum per diffidentię & desperationis laqueum.
CEt d certe admiratione dignum est/ q̄ multorum
 oculos internos ita claudit aduersarius per totum vi-
 tæ spacium: vt ne semel quidem eorum animū sub-
 eat memoria gehennę/ q̄ diu sano sunt corpore. Et hi
 quidem vsq̄ adeo excæcati sunt ac obnubilati illece-
 bris vitę presentis: vt crasso velamine videantur ocu-
 los mentis obductos gerere/nunq̄ in gehennę cogi-
 tationē intentos/necq̄ eā in partē deflexos. Aut si for-
 tasse tristis suppliciorum noxijs debitorū species ip-
 sis in transcurso ingeratur: protinuseam toto corpo-
 ris & capitis nixu excutiūt animo/ ne impedimento
 sit perfruēdis voluptatibus. Nonnunq̄ præterea quę }
 ex sacris literis afferuntur eis & inculcantur testimo- }
 nia de huiusmodi pœnis æternis: vt deliria rident & }
 cōmentitia. diuitem epulonem inferna flamma cru- }
 ciatū/ignem & vermē / stagnū sulphuris ardentis/ & }
 cętera id genus in scripturis expressa: poetarū fabu- }
 lis esse putant similia/ & excogitata figmēta : qualia }
 sunt triceps apud inferos cerberus (vt Ciceronis in }
 primo Tusculanorum vtar verbis) Cocyti fremitus/ }
 traiectio Acherontis/mento summam aquam attin- }
 gens siti enectus Tantalus/ & illud: q̄ Sisyphus ver- }
 sat saxum sudans nitendo/nec proficit hilum.inexo- }
 rabiles etiam iudices: Aecus/Minos & Radaman- }
 thus. Sane vt hæc a poetis coficta sunt de pœnis infe- }
 rorū: ita quę in sacris eloquijs dicuntur de malorum }
 supplicijs post hanc vitam inferendis / mundi & vo- }
 luptatum amatores nēnias quasdam & aniles nugas }
 plerunq̄ existimant/ & cōmenta esse dicitant dedi- }
 ta opera in terrorem: vt ea via reuocentur homines a }
 peccatis. Quęadmodum matres anxie/ volētes filios }
 suos domi cōtinere ne limine ædium pedem efferāt: }
 Cicero.

Doctrina

fringunt striges noctu vagari / quę pueros foris inuen-
tos deuorent / aut lupos ad angulū domus insidiari:
vt siquos ibi offenderint protinus eos iugulent . Q
si qui tales sunt eo laborātes vitio infidelitatis & in-
credulitatis/vt fidē non habeāt verbis euāgelicis to-
ties astruētibus dira malorum supplicia : in eos per-
mittitur nō nūq̄ diuino iudicio noster inimicus exer-
cere suā tyrānidē circa vltimū vitæ terminū . ac omni
prorsus cœlesti destitutos p̄sidio : his inferorum
suppliciorū terroribus concutere . vt quę aut credere
noluerunt aut menti infigere sani ac sospites : eorum
exterreantur horrida specie ac metu anxio iā mori-
turi . Ita sane furtis ac rapinis assueti & latrocinijs / q̄
diu libero pede quo fert volūtas progrediūtur : nūq̄
de furca cogitant / neq̄ crucis suppliciū ipsis inferen-
dū vnq̄ animo reuoluūt . Vbi vero in crimine depre-
hensi a magistratu detinentur in custodia publica /
vinculisq̄ cōstricti iacēt : tūc furcarum imago obu-
satur assidue ante oculos eorū . tūc crucem & patibul-
um ita menti habent infixū : vt ab eius nequeāt co-
gitatōe dimoueri / quādo apud se voluūt instare ho-
ram : qua vltimo sunt afficiendi supplicio . ¶ Ceterū
sancta est & salubris cogitatio / ad frenādos impetus
affectuū seculariū ac rebelles ratiōi cupiditates : sup-
pliciorum gehēnæ horrorem ac magnitudinē sepius
animo versare . vt sit is frequens cogitatus / retinaculū
quoddā coercens effrenē petulantia cordis : ac retra-
hens a peccato . vbi nec amor honesti nec diuinorum
reuerētia p̄ceptorū : satis valet ad absterrendū ho-
minē a vitijs . haud aliter q̄ verberū ac flagellorū me-
tus & aspectus : cohibet a maleficio seruos nullo inge-
nuo pudore p̄ditos . quos nec hortatu aliquo nec
suasione graui / nec seria admonitione vnq̄ dimouere

queas a scelere: q̄ nullā habeant honesti rationē. Et
 hāc plene ob rē/sacræ literę (quæ ad cōmunē omnīū
 salutē sunt cōscriptę) sēpius grauissimas illas pœnas
 cōmemorant: vt cōmonefaciant nos anxie sollicitos
 esse debere ad ipsas euitandas. Esaias enim/intolera
 biles eas significare volēs: ait. Quis poterit habitare *Esaiæ. 33.*
 de vobis cum igne deuorante: aut quis habitabit ex
 vobis cum ardoribus sempiternis? Idem quoq̄ per
 petuam illarum durationem insinuans: inquit. Ver *Esaiæ. 66.*
 mis eorū nō morietur/ & ignis eorum nō extingue
 tur: & erunt vsq̄ ad satietatē visionis omni carni. In
 euāgelio quoq̄ dominus apud Matthēū semel & ite *Matt. 8. 13.*
 rum nominat caminum ignis & tenebras exteriores *22-25.*
 fletumq̄ & stridorem dētium/deniq̄ ignem & sup
 plicium æternum. Apud Marcum vero: iterum atq̄
 iterum repetit / immo tertio profert ignem inextin
 guibilem: vbi vermīs eorum non moritur & ignis
 eorum non extinguitur. Deniq̄ apud Lucam: diu
 tem illum purpuratū/nitido amictum cultu & splen
 didis assuetum epulis/sepultum in inferno lacu & cru
 ciari flamma: idem veritatis magister enarrat. vt &
 nostram solidet fidem / persuadeatq̄ nobis noxijs
 post mortem dira manere supplicia: & illorū com
 memoracione quasi freno quodā & capistro / a pec
 cato nos compescat. Demū sacra Apocalypsis/me
 retricis magnæ damnationem describit: cuius fumus
 ascēdit in secula seculorum. stagnum etiam ignis ar
 dentis & sulphuris exprimit: in quod missus est dia
 bolus & bestia & pseudo prophetæ / & cruciabuntur *Apoca. 19.*
 die ac nocte in secula seculorum. Et recte prospexit
 deus nostrę saluti/atq̄ nos p̄monuit interminorū il
 lorū cruciatū: vt effugiamus & declinemus eos. Q̄
 si p̄cipue nō id voluisset vt ipsos deuitaremus: neq̄

Doctrina

admonuisset nos illorū/ neq; ante fuisset cōminatus.
¶ At vero salubris quidem est huiusmodi cogitatio:
cum validæ adhuc in corpore sano sunt vires/cum so-
lidum robur inest animo ad opera iustitiæ/virtutūq;
officia/quibus illa æterni interitus euitētur supplicia.
Non solet tamen illa meditatio plerūq; tantū affer-
re fructus/neq; ita ad salutem conducere: quando &
emortuum iacet corpus & elanguidus est animus ob
mortis propinquitatem. cum non assit eo temporis
puncto tanta facultas ad illa fructu bonorum operū
euitanda: neq; tāta temporis opportunitas. Nichilo
secius coniecta in deum omni sua fiducia / & tota spe
in eo collocata : respondeat confidenter intra se lan-
guidus hosti hæc suppliciorum terriculamenta obie-
ctanti. diabolo quidem & angelis eius paratum esse
(teste summa veritate) ignem æternum: illiusq; cons-
ecratoribus hominibus. non autem ijs qui in deum
credunt: illumq; pie colunt. Christum potētifico suo
ad inferna loca descēsu/portas eorum græas & vectes
ferreos confregisse: vt eius seruis & famulis præuale-
re nequeant. Eundem suo glorioso ad cælos ascen-
su patefecisse fores regni cœlestis : in quod fidē eius
& præcepta tenentes demum introeant. Se in diuinę
bonitatis magnitudine cōfidere: q; eius gratuito mu-
nere percepturus sit regnum/ab origine mundi iustis
paratum. q; hæreditatem cōsequetur inter filios dei:
precioso Christi sanguine sibi comparatam. vbi in-
ter sanctos portionem & sortem: dei benigno indul-
tu est adepturus. ¶ Dehinc reiecta tristi gehennæ &
infernalis abyssi imagine/pro viribus mentem erigat
ad cœlestem illam ciuitatem Hierusalem & immar-
cessibilia eius gaudia : quorum meditatione exhila-
rescat/& lætitia perfundatur. Veniat illi in mentē lux

Math. 25.

Psal. 106.

Math. 25.

- illa perpetua regionis viuorum: nullis fuscāda tenebris/aut nubi bus atris obducenda. Fulgebūt (inquit **Matth. 13.** ipsa veritas) iusti sicut sol in regno patris eorum. Et Salomon in libro Sapiētīæ. Fulgebūt iusti: & tanq̄ **Sapi. 3.** scintillæ in arundineto discurrent. Ioannes item in Apocalypsi ait. Et ciuitas nō eget sole neq̄ luna: vt **Apoca. 21.** luceant in ea. nam claritas dei illuminabit illam: &
- 2 lucerna eius est agnus. Occurrat item animo eius certa illa securitas & segura certitudo/incolis illi⁹ supernæ regionis a deo constituta: q̄ nunq̄ eorum finientur gaudia/nunq̄ bona minuentur sed augetur potius. Nam vt ait **Esaïas propheta/** Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiā obtinebunt/fugiet dolor & gemitus. Et idem alio in loco. Oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam: tabernaculum quod nequaq̄ transferri poterit/nec auferetur clauis eius in sempiternum: & omnes funiculi eius non rumpentur / quia solummodo
- 3 ibi magnificus est dominus noster. Nunq̄ præterea excidat eius animo: in illa superna ciuitate indeficientem esse exāclatis iam laboribus & æternam quietem. quemadmodum in Apocalypsi Ioannes contestatur q̄ sancti cœlestis regionis ciues non esuriant neq̄ sitient amplius: neq̄ cadet super illos sol neq̄ vllus æstus/& absterget deus omnē lachrymam ab oculis eorum. Et idem in alio eiusdē libri loco. Amodo iam dicit spiritus: vt requiescāt a laboribus **Apoca. 14.** suis. Hoc & beatus Augustin⁹ in vicesimo primo capite libri suarum meditationum his verbis explicat. O tu vita fœlicissima: o regnū vere beatū/ vbi cōtinu⁹ sine nocte dies nescit habere terminū. vbi victor miles illis hymnidicis angelorū sociatus choris: can
- ticat deo sine cessione canticū de canticis Sion/nobi

Doctrina

le perpetua caput amplectēte corona. Cōuertat etiā 4
oculos mentis ad cōsiderādū ornatū & cultū precio-
sam foelicissime illius ciuitatis: in qua sancti splendi-
cant amici lumine sicut vestimēto / & a beato Ioan-
ne describūtur amici stolis albis / & palmæ in mani-
bus eorū / ac coronæ in capitibus ipsorū repositæ. Et
quemadmodū itidem in sacra visione conspexit idē
Apo. 7. deo dilectus discipulus: structura muri ciuitatis illius
Apo. 21. erat ex lapide Iaspide: ipsa vero ciuitas aurū mūdū /
simile vitro mundo: & fundamenta muri eius omni
lapide precioso ornata. Et singulæ portæ erāt ex sin-
gulis margaritis: & platea ciuitatis aurū mundū tāq̄
vitrum perlucidū. Demum & id mentē infirmi sub- 5
eat atq; recreet / q̄ in ipsa supercœlesti curia / sola est
bonorū & numerosa societas: syncero & indissolubi-
li charitatis nexu adinuicē copulata. Ibi deus subli-
mi residens solio omnibus supereminet: qui est om-
nia in omnibus. Ibi & regina virginū virgo Maria /
dei mater eximia / in sua spectatur gloria: super om-
nes sanctorū ordines sublimata. Illic cœlestes visun-
tur & angelici spiritus: suis gradibus & numeris de-
centissime distincti. Illic (vt inquit Cyprianus in fine
Cyprianus. sui sermonis de mortalitate: iā sepi⁹ citati) aposto-
lorum gloriosus chorus: illic prophetarū exultātium
numerus. Illic martyrū innumerabilis populus: ob
certaminis & passionis victoriam coronatus. Trium-
phantes virgines: quę concupiscentiā carnis & corpo-
ris / continentię robore subegerunt. Remunerati mise-
ricordes: qui alimentis & largitionibus pauperū / ius-
stitiæ opera fecerūt: qui dominica præcepta seruātes
ad cœlestes thesauros terrena patrimonía transtulerunt.
Ad hos (inquit) fratres dilectissimi auida cupi-
ditate properamus: vt cum his cito esse possimus / vt

cito ad Christum venire contingat / optemus. Hæc
 Cyprianus. Demum in ipso cœlesti palacio / copiosa Apoca. 7.
 est electorū turba: quam dinumerare nemo posset / ni
 si is qui numerat multitudinē stellarum: & omnibus Psal. 146.
 eis nomina vocat. Et vt paucis cū beato Augustino
 in libro suorū soliloquiorū capite tricesimoquinto
 omnia cōcludam. ibi gaudiū infinitū / lætitia sine tri Augustinus
 stitia / salus sine dolore / via sine labore / lux sine tene-
 bris / vita sine morte / omne bonum sine omni malo.
 Hæc alacri animo (quantum potest) voluat: qui di-
 ris gehennę pulsatur imaginibus & tetra specie. & in
 istis adiutore deo consolationem accipiet: & cordis
 sentiet hilaritatem internam.

¶ Contra tetras dæmonū larvas morientibus in-
 terdū apparētes: sanctę crucis signaculo & ora-
 tione deuota vtendum esse. Cap. XXI.



Ecimo ac postremo loco / mouet
 hostis noster atrox in homines
 ex hac vita statim decessuros bel-
 lū: per terribiles visu formas &
 horrificas facies / quibus appare-
 re solēt lemures & angeli satha-
 nę ijs qui in agone mortis cōsti-
 tuti sunt: vt eos horrore ac terrore quatiant. Nūc in
 forma æthiopū truci ac terrifico vultu astantiū: nunc
 maiorū muriū (quos glires vocāt) aut feliū / nūc in cor-
 norū habitu ac specie vt ferūt. nūc alia quauis horrē-
 da imagine induti inferūt se moriētium aspectibus:
 quo eos timore ac pauore exanimatos reddāt ac at-
 tonitos. Quod certe non omnino incredibile vide-
 ri cuiq̄ debet: cum & beato Martino: virtute & me- Sāctus Mar-
 ritis mirifice insigni / sub exitū eius astitisse sathanas tinus.
 legatur. Quem sanctus vir cum fiducia increpitans /

- dixit. Quid hic astas cruenta bestia? nichil in me fustum reperies: sed sinus Abrahe me recipiet. Immo vero quod amplius est Christo in cruce patienti/ idē (vt multi sentiūt) hostis antiquus astitit: credens aliquid de suo in ei⁹ anima reperire. quēadmodū de ipso prius dixerat domin⁹ noster. Venit em̄ princeps mūdi huius: & in me non habet quicq̄. Quāto ergo magis in aliorum hominū exitu de hoc mundo ingerit se formidabili quadam figura conspectibus aliorum hominū/ insidiaturq̄ ipsorum calcaneo: vt sūt aliquid in eis inueniat/ & abeūtem corpore animam secum rapiat ad tormēta. Comprobat idipsum beatus Gregorius in homilia illius euangelij secundum
- Ioan. 14. **Lucę. 19.** **Gregorius.** Lucam. Cū appropinquasset Ihesus Hierusalē: vltens ciuitatem fleuit super illam: ita dicēs. Vnde curandū nobis est & cum magnis quotidie fletibus cogitandum: q̄ s̄uus/ q̄ terribilis sua in nobis opera requirens in die nostri exitus princeps huius mūdi veniat: si etiam ad deum carne morientē venit: & in illo quęstuit aliquid in quo inuenire nil potuit. Quid itaq̄ nos miseri dicturi/ quid acturi sumus: qui innumera mala cōmisimus? Quid requirenti aduersario & multa sua in nobis inuenienti dicemus? nisi q̄ solum est nobis certum refugium solida spes: quia vnū cum illo facti sumus/ in quo princeps mūdi huius & suum aliquid requisiuit & inuenire non potuit/ quoniam solus est inter mortuos liber. & a peccati iam seruitio veraci libertate soluimur: quia ei qui vere liber est vnimur. Constat enim nec negare possumus: quia princeps mūdi huius habet in nobis multa. sed tamen mortis nostrę tempore iam nos rapere nō valet: quia eius mēbra effecti sumus/ in quo non habet quicq̄. Hec Gregorius. ¶ Et hi quidem qui impuri
- Psal. 87.

tate vitæ & immanitate scelerum obsecuti sunt desiderijs ipsius serpentis antiqui cū vitæ munere / quicq̃ suasionibus eius & impulsionebus ad mala obtēperāter aures patefecerunt : molestiorem sentiūt hāc extremam infestationē. quoniā valentior ob priorē dominatū atq̃ principatū insurgit in eos hostis : & horridiore metu ipsos excruciat. Qui vero in ipsa militiæ suę palęstra acriter illi restiterūt / praua suadētem fortiter repulerunt / neq̃ ipsius impostoris suasionibus admiserunt vt deū offenderent : minus infestatur horrido illius aspectu / toruaq̃ & truci specie. quoniam victus sepenumero ab illis dæmon : nō tantum instare cōtra eos permittitur quātum velit / & diuino præsidio tutante egrotos coercitus : languidas habet & propemodū fractas in illos vires . Vetūtāmē & hi & illi / contra hāc hostis terriculamēta & tristia spectacula : signaculo viuicæ crucis se debent assidue munire / ipsamq̃ sanctā crucē (quę oculis eorū / cum iam fatiscēte natura decūbunt esse debet semper obiecta) strictius amplecti : vt munimentū vnicū contra hostiles incurfus . Sicut enim exhorret baculū canis domesticus quo semel fuit percussus / & vbi primum arripi illū videt : territus aufugit / ne rursus sustineat illius verbera . Ita & aduersarius noster quoniā virtute sacre crucis deuictus est ac prostratus : inhorrescit illius aspectū / neq̃ præsentia eius quoquo pacto ferre valet . Memoriam quoq̃ dominicę passionis in animum reuocet : flagra / coronā spineā / transfixas clauis manus ac pedes in cruce / ad apertūq̃ lācea militari latus . Ad vulnera Christi cōfugiat : vt tutū cōtra seuitiā hostis receptaculū . in illis abscondatur & latitet : vt euadat rugitū truculenti leonis . quēadmodū colūbā aiunt se occultare in foramine petreę aut cauer-

Doctrina

na maceria: quo euadat rapacem accipitrē illi infidi
 antem. Est enim Christus firma petra: in cuius vul-
 neribus vt cauis foraminibus tutelā est ac salus con-
 tra dæmonis rabiem. Ad hæc intentissimo corde ad
 deum confugiat: vt filius in extremo vitæ discrimi-
 ne positus & inimiciter ab hostibus impetitus / ad
 pietissimum patrem recurrit. Illius enixe impleret
 auxiliū: contra violentos insultus aduersarij. In ip-
 sius manus animā suam cōmendet: vt eam custodiat
 ab immanitate leonis rugientis. dicatq; si nō ore po-
 test saltē intimo corde. Deus in adiutoriū meū intē-
 de: domine ad adiuuandū me festina. Adiutorium
 nostrum in nomine domini: qui fecit cœlū & terrā.
 Ne derelinquas me domine deus meus: ne discesse-
 ris a me. Intēde in adiutoriū meū: domine deus sa-
 lutis meę. Adiutor me⁹ esto domine / ne derelinquas
 me: neq; despicias me deus salutaris meus. Nequan-
 do rapiat vt leo animā meam: dum nō qui redimat
 neq; qui saluū faciat. Eripe me de inimicis meis do-
 mine / ad te confugi: doce me facere volūtatem tuā /
 quia deus meus es tu, Spirit⁹ tuus bonus deducet me
 in terram rectā: propter nomē tuum domine viuifica-
 bis me in æquitate tua. Educes de tribulatione
 animā meam: & in misericordia tua disperdes om-
 nes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulāt ani-
 mam meam: quoniam ego seruus tuus sum. In ma-
 nus tuas domine commēdo spiritum meum: redēmi-
 sti me domine deus veritatis. Et hunc postremū ver-
 sum sepius iteret ac repetat: q; a Christo domino no-
 stro in cruce pendente & mox spiritum emissuro sit
 pronuntiatus inter nouissima verba. Quinimmo &
 omnes illius psalmi tricesimi versus a principio ad
 hunc vsq;: si animo sedeat / in modū orationis profes-

Psal. 69.

Psal. 123.

Psal. 37.

Psal. 26.

Psal. 7.

Psal. 142.

Psal. 30.

Lucę. 23.

rat/ quoniam presenti negotio sunt accommodi. Et cetera id genus in psalmis sparsim conscripta & diuini auxilij inuocatoria verba pie meditetur/ aut alia quibus pro suo arbitrio fundat ad deum sanctarum imprecationum genera. ¶ Præterea supplices etiam tendat palmas ægrotus ad sacrosanctam virginem Mariam: & illi vota precumq; ferat/ vt sibi sit auxilio in hac mortis angustia. Cum enim caput antiqui serpentis Gene. 3. forti virtutis suæ pede contriuerit / & generis humani sedula sit adiutrix & aduocata/ afflictorum consolatrix & patrona peccatorum: pijs inuocata precibus haud dubie aderit illi in subsidium & leuam. Itaque totam mentem suam conuertat ad ipsam sacram virginem: eamque vt dulcissimam matrem suam his compellet vocibus. Sub tuum præsidium confugimus sancta dei genitrix / nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris: sed a periculis cunctis libera nos semper/ virgo benedicta. Maria mater gratiæ/ mater misericordiæ: tu nos ab hoste protege/ & hora mortis suscipe. In omni tribulatione & angustia succurre nobis pia virgo Maria. Ora pro nobis sancta dei genitrix: vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oremus. Protege domine famulos tuos subsidijs pacis: & beatæ Mariæ semper virginis patrocinijs confidentes / a cunctis hostibus nos redde securos. Alias quoque orationes pias & religiosas pro suæ deuotionis affectu & voluntate: ad eandem dei sacratissimam matrem profundat. ¶ Demum et angelum sanctum/ custodiæ suæ diuina dignatione designatum / cum magna sedulitate inuocet ægrotus: vt in hac extrema anxietate & summo discrimine assistat illi adiutor/ contra impetum & impugnationem fallacis & crudelis inimici. Commemoret in psalmo dictum esse.

Orationes breues ad beatam virginem.

Doctrina

- Pfal. 33.** Immittit angelus domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. Et iterum. Quonia angelis suis mandauit de te: vt custodiāt te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedē tuū. Oret igitur obnixē: vt hæc officia sibi præstet sanctus angelus domini custos suus. vt circumlepiat se & circūdet muro protectiōis suę: eripiatq; de manu inimici. custodiat se in omnibus vijs suis: positissimū in exitu de corpore/ atq; subleuet ipsum auxiliatrice dextera: ne aliquod incurrat offendiculum.
- Lucę. 23.** Adducat & id in suę petitionis robur q; cum Christus dominus noster in horto sanguineū stillaret sudorem/ ob acerbissimā instantis mortis agoniā apparuit ei de cœlo angelus domini/ cōfortās eum. Ita & sibi in extrema anxietate constituto: ferat præsidium & confortationē angelica gratia. Necnō & illud afferat: q; cum Tobias iunior pedes abluens in flumine/ timeret immanē piscē qui adnatauit ad se deuorandum: exclamauit voce magna ad Raphaelē angelū domini/ itineris sui ducem. Domine: inuadit me. Et statim angelus confortās eum: a deuoratione piscis illęsum reddidit. Haud secus ingenti virtute cetus & eo formidabilior qui deglutiuit Ionam prophetā: nunc instat/ vtget & premit se ægrotū & inualidum/ vt viuū absorbeat. ferat opē suę imbecillitati/ suaq; virtute protegat: vt intactus fauces auidas balenę illius euadat. Demū sanctorū illorū atq; sanctorū / ad quos cū viueret speciali deuotiōis cultu afficiebatur: imploret opē & subsidiū. vt nūc cū extrema ingruit necessitas & pugna nouissima/ præstent auxiliū infirmo ac debili seruo suo: sanctūq; ac fœlicē obitum sibi a domino deo impetrēt. ¶ Insuper curet infirmus acciri sacerdotes aliquos & ecclesiastici gradus viros/

qui assistant morienti: & continue orationi insistant
 aut lectioni dominicæ passionis/ alteriulve rei sacræ/
 illi horę conuenientis. Nempe per assiduã orationis
 ad deum effusionem: plerũq; profugatur hostis anti-
 quus & eo loco abigitur: aut saltem debilitatur eius
 violentia: ne grauius infestet. Illud sane faciundum
 esse admonet beatus Iacobus dicēs. Infirmatur quis **Iaco. 5.**
 in vobis: inducat presbyteros ecclesiæ & orent super
 eum/vngentes eum oleo in nomine domini. Et ora-
 tio fidei saluabit infirmum/ & alleuiabit eum domi-
 nus: & si in peccatis sit/ remittentur ei. ¶ Ex ipsis au-
 tem viris sacerdotalibus vnus deligatur/hanc præci-
 pue obiturus prouinciam: vt cum vox ipsa defecerit
 infirmum/ & natura mole morbi oppressa decumbit
 iam tēdens ad interitum: voce clara quę plene audia-
 tur/ & moderata quę non obtundat in extremo ago-
 ne positum/suggestat ipsi ægrotto salutaria monita ad
 emissionem vsq; spiritus: incitantia ad plenam/per-
 festamq; fidem inconcussę tenendam/ ad resistēdum
 fortiter hostilibus tentationibus cū fiducia in domi-
 no. quoniã vt ait Apostolus. Fidelis deus est/ qui nō **1. Corin. 10.**
 patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faci-
 et etiam cum tentatione prouentum/vt possitis susti-
 nere. Qui etiã admoneat ægrotum iam extrema tra-
 hentem suspiria: vt omnimodã habeat confidētiã
 in dei misericordia/per quam confidat se saluum fore/
 regniq; cœlestis incolam. necnō & in amarissima
 Christi passione ac morte: per quã redempti sumus/
 & per quam se speret ægrotus saluatum iri. Cōmo-
 nefaciat quoq; preciosum Christi sanguinem pro no-
 bis effusum: in nostræ redemptionis precium. Ipsius/
 & caput spinis sauciũ/in cruce inclinatũ: ad porrigē-
 dũ nobis osculum. Manus ipsius sacras in cruce pas-

Doctrina

fas & extentas: vt nos ad se veniētes dulciter ample-
 ctatur. Latus eiusdē nobis apertū lancea & patēs: vt
 per illud ingrediamur ad ipsum/illiq; inseramur/cō-
 iungamur & vniamur. Quod & beatus Bernardus
 Bernardus in spem bonam veniæ omnes erigens: his verbis cō-
 testatur. Quis non rapietur ad spem aut ad habēdā
 fiduciam: si attendat in cruce Christi dispositionē?
 Vide caput inclinatum & os: ad osculandum / bra-
 chia extensa ad amplexādum / manus perforatas ad
 largiendum: latus apertū ad diligendū / & totius cor-
 poris extensionem ad totum se impendendū. Hæc
 ille. Cōmemoret itē sacerdos ille / admonitoris fun-
 gēs officio / tam eximiam fuisse Christi charitatem /
 tam ardens in eo nostrę salutis desiderii: vt nō solū
 homo fieri pro nobis fuerit dignatus / sed & seipsum
 totum impēderit in cruce: animāq; suā posuerit pro
 1. Petri. 2. redēptione generis humani. Eundem peccata nostra
 pertulisse in corpore suo super lignū crucis / nosq; ei
 Esaiæ. 53. liuore sanatos esse: vt ait beatus Petrus. Deum patrē
 in Christo posuisse peccata omniū nostrū / vt inquit
 Esaias: & mortē ipsius acerbissimā acceptasse in sa-
 tisfactionē omniū peccatorū nostrorum. Idcirco nō
 tūc esse trepidādum ipsi egrotō / aut anxie formidan-
 dum de peccatorū suorū remissione: sed cōfidētiam
 tantū in deo collocandā / q; propitius ei sit futurus &
 Hebræ. 5. misericors. Adiciat & Christū in cruce cū clamore
 valido & lachrymis orasse deū patrē / non solum pro
 Lucę. 23. peccatis crucifigentium se: sed omnium qui credituri
 essent in ipsum. quēadmodū facta cœna nouissima
 cū discipulis suis / post insignē & præclarū sermonem
 ad ipsos habitū / subleuatis oculis orans deū patrem
 Ioan. 17. pro eorū salute: subiunxit, Nō pro eis autē rogo tā-
 tum: sed & pro eis qui credituri sunt per verbū eorū

in me vt omnes vnū sint: sicut tu pater in me/ & ego
 in te: & vt ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus
 quia tu me misisti. Enimvero in cruce pedēs domin⁹
 noster: vt vniuersalis pōtifex & sūmus omniū sacer-
 dos/ pro peccatorū totius mūdi expiatione tūc sacra
 fecit: et tradidit semetipsum oblationē et hostiā deo Ephē. 5.
 in odorē suauitatis. Deniq; proponat infirmo/ deum
 patrē tradidisse Christū: propitiationē pro peccatis 1. Ioan. 2.
 nostris. nō pro nostris autē tantū: sed etiā pro totius
 mundi. Proinde admoneat/ q; posito metu/ bono sit
 animo: & certet bonū certamē/ & cursum cōsummet
 in domino. hęc & similia/ ex p̄dictis facile colligē-
 da: suggerat pius ille sacerdos homini iā tendēti ad
 exitū. quibus animū eius erigat in spem bonā: & fi-
 duciā consequēdę salutis. Sæpius itidē nominet cum
 religione & veneratione corā egroto/ hęc duo nomi-
 na singularia omniq; honore digna: **I H E S V S I**
M A R I A. vt altius animo illius hęcant ex frequē-
 ti iteratione & maneant infixæ. Consolationem in-
 super illi afferant: & adaugeant vires contra hostiles
 insultus. quoniam sicut deficit fumus turbine venti
 dissipatus/ & sicut fluit cæra a facie ignis ita maligni
 spiritus dispereunt ac euanescent a conspectu & p̄-
 sentia horum duorum nominum sacratissimorum /
 neq; virtutem ipsorum sustinere queunt. ¶ Porro in
 postremis decem capitibus / a duodecimo videlicet
 vsq; ad vicesimum primum/ ac p̄sens caput: decem
 descripsimus tentationes atq; impugnationes aduer-
 sarij nostri / quibus transeuntem ex hoc mundo ho-
 minem acriter infestare solet: cuiq; capiti vnā assi-
 gnantes tentationem / & contra eam remedium atq;
 defensaculum. Quarum prima est de obmurmura-
 tione in deum: ob vitā tam cito succisam. Secunda/

Doctrina

de impatientia: ob acerbiteriam dolorū corpus afflic-
stantium. Tertia de tristitia absorbente animū: pro- 3
pter priuationem opum/voluptatum & honorū ter-
renorum. Quarta/de mœrore deijcēte mētem: pro- 4
pter separationem ab amicis & consanguineis vnice
dilectis. Quinta de dubitatione in fide: & inductio- 5
ne ad infidelitatem. Sexta de impulsione ad despe- 6
rationem: ob grauitatem malorum ante perpetra-
tionem. Septima de inani gloriatione & magna sui est- 7
imatione: ob innocentiam & integritatem vitæ præ-
teritæ. Octaua de timore mortis instantis: & iudicij 8
in illius puncto subeundi. Nona de horrore suppli- 9
ciorū gehēne: quē ingerit hostis homini morienti vt
ipsum exterreat. Decima de apparitiōe/visiōe q̄ ma- 10
lignorum spirituum: sub forma aliqua terribili mo-
rientibus plærūq̄ astantium. Et quonā pacto quæq̄
harum tentationū sustinēda sit ac fortiter reijciēda/
quibusve munimentis suffulciendus sit moriētis ani-
mus ad hostiles istos impetus retundendos: in singu-
lis datorum capitum suo dictū est loco. Neq̄ nos læ-
tet / multo plures esse vias ac modos quibus adoriri
humanæ conditionis debitum persoluētem hominē
possit aduersarius noster: cui mille nocendi artes &
fraudum nomina mille. Verum ad denariū vsq̄ (qui
perfectionis cēsetur numerus: & numerorū omnium
secundū Pythagoricos limes primarius) cōtinuo or-
dine deducti id genus modi: sufficere nobis visi sunt:
quippe si qui supersunt reliqui: ad eos qui supra ex-
pressi sunt/facile reduci possunt.

¶ Moderandum esse dolorem/recte rationis
lege: qui propter obitum cognatorum ac
amicorum a plæriscq̄ maior æquo suscipi-
tur.

Cap. XXII.



AT vero & id calci praesentis operis adijciendum videtur | a suscepti hic negocij instituto (vt reor) nequaquam alienum: mortuos immoderato luctu ab ijs qui superstites sunt desolandos non esse | nec diuturnis lamentis deplorandos. ne videantur qui ita grauius lugent defunctos: aut diuino decreto contraire velle | eiusque bonae voluntati obliuiscari. id egro ferentes & iniquo animo | quod deus fieri voluit: cuius tamen voluntatem in terra sicut & in caelo compleri semper orant: ne uideantur de fide catholica perperam sentire: aut amantibus amicorum (quos tam immoderate elugent) animas interijisse cum corpore | nichilque illorum amplius superesse: vel non esse demum ad vitam resurrecturos illos in consummatione saeculi | putantes. Ad quem sustollendum errorem: beatus Paulus ad Thessalonicenses scribit hoc modo. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus: ut non contristemini | sicut & caeteri qui spem non habent. Deinde resurrectionis omnium futurae fidem solide & pie idem Apostolus eodem in loco astruit. ¶ Fateor equidem | non omnino a pijs lachrymis quas mollior in nobis affectus excitat & amor in defunctos: temperandum esse. cum & dominus nos fieri absolutissima virtutum omnium idea: Lazarum mortuum pie defleuerit. & sanctae eius sorores Maria & Martha mirifice commendentur: quae fraternum deplorauerint funus. Officiosae etiam mulieres illae quae Christo in cruce extremae patienti sedulae astiterunt: ob id non immerito laudantur | quae ipsum mortuum et sepultum multis lachrymis sunt prosecutae. Et certe aut rigidos silices | durumve in pectore ferrum gerere

1. Thessa. 4.

Ioan. 11.

Lucae. 23.

Doctrina

Ille videtur: qui nullo penitus afficit dolore ob amicum fatis ereptum. aut eo argumēto ostendit se illū dum viueret / frigide & languide amasse: q̄ eius interitum tam facile & leuiter ferat / nec vllis fletibus testetur suum (quo angitur introrsum) dolorem. vnde non leuis sumitur a multis coniectura: q̄ nullo amici iam hac luce exēpti teneatur desiderio. Ne igitur aut saxeo adamātinove corde videamur esse / aut vita defunctum amicum remisse tantum & vulgariter amasse: ex pietate animi & sincero commiserationis affectu prodeuntes lachrymas illi impartiamur equū est / sed recta rationis lege moderatas. Hoc enim testimoniū quoddam est vitæ: a mortuo qui defletur / cū laude & probitate transactæ. quoniam ingens sui desiderii viuentibus reliquit: vt testantur vltro erumpentes eorum lachrymæ. Hinc Solon vnus ex septē sapientibus: dixisse fertur / se nolle hinc sine propinquoꝝ lachrymis & fletu emigrare. Cuius verba: teste Cicerone in primo Tusculanorū libro / sunt hæc.

Solon. Mors mea ne careat lachrymis: linquamus amicis Mœrorem / vt celebrent funera cum gemitu.

Herodes. Et Herodes ille infantii Bethleemiticorum trucidator crudelissimus sibi cōscijs quanta immanitate & cæde debacchatus fuerat in vita sua in domesticos & exteros / facile coniectauit (id quod erat) raros admodum futuros / qui mortē eius propediē instantē deflerent. Proinde ne sua funera luctu carerent: execrabile tentauit facinus / vt refert Iosephus circa finem primi libri de bello Iudaico. Ex omni enim Iudæa nobilissimos quosq̄ & primores comprehēdi: & in loco cui nomen est Hippodromo concludi iussit. Deinde Salome sorore sua & Alexandro marito eius ad se vocatis / scio (inquit) Iudæos mortem meā cum magna

letitia celebraturos: quoniã ipsi sum inuisus. Verũ
 communẽ luctum consequi potero / & largas in fune-
 re meo lachrymas: si quæ præcipio feceritis. Cũ pri-
 mum animã efflauero / hos omnes viros in custodia
 hippodromi detetos: militibus circũdatos occidite /
 vt omnis Iudæa vel inuita michi lachrymas & fune-
 ri meo impartiat. Salome autẽ mortuo Herode cũ
 viro suo in eũ locũ progressa: vinctos illos omnes ab-
 soluit quos occidi Herodes madauerat / & liberos ip-
 sos domum abire permisit. q̃ fratre suo longe huma-
 nior: tã infandũ scelus execraret. Et ita factũ est vt qui
 per tetrũ facinorũ luctũ in sua morte quæsierat: omnib9
 gaudiũ publicũ duplici de causa & letitiã cõmunem
 reliquerit. tũ ob suũ interitũ qui omnib9 erat odiosus:
 tũ ob illustriũ virorũ inocentiũ liberationẽ e carcere.
 Quinimmo & in sacra scriptura illos qui pie facteq;
 vixerãt & ap̃la in alios beneficia cõtulerãt: diurno /
 soleniq; luctu fuisse honoratos legim9. in testimoniu
 integritatis & bonitatis p̃teritẽ: & in quãdã gratitu-
 dinẽ accepti a tota cõmunitate beneficij. vt Iacob pa-
 triarchã mortuũ: totos septuaginta dies fleuit Aegy-
 ptus. Aarõ etiã sũmũ sacerdotẽ vita defũctũ: trigin-
 ta dieb9 defleuit popul9 Israelitic9. Et Moysẽ fratrem
 ei9 vbi vitẽ cursũ expleuerat: tãto idẽtĩdẽ tẽpore idẽ
 popul9 deplorauit. Demũ Iudith honorabilẽ viduã /
 cũ rebus humanis foeliciter esset sublata: luxit popu-
 lus Bethulię diebus septem. Eratq; is luctus p̃teriti-
 tã virtutis ei9 index ac testis: officiosaq; illi publico
 consensu & approbatione facta parãtatio. De beato
 quoq; Stephano protomartyre legim9 in Actis apos-
 tolicis: q̃ curauerũt illũ (quantũ ad sepulturã exe-
 quias) viri timorati / & fecerũt planctũ magnũ super
 eũ. Quinetiã & ipse Ecclesiasticus / impẽdẽdas mor-

Gene. 50.

Nume. 20.

Deute. 34.

Judith. 16.

Actu. 8.

Doctrina

- Eccli. 22.** tuis lachrymas non tamen immoderatas nec in longum productas tēpus: admonet dicens. Supra mortuum plora: quoniam defecit lux eius. Modicū plora supra mortuū: quoniam requieuit. luctus mortui: **Eccli. 38.** septē dies. Et idem alio loco. Filii in mortuū produc lachrymas: & quasi dira passus / incipe plorare. **¶** Ve runtamē abiecta omni moderatione & rationis temperamēto / indulgere solis lachrymis: nequaquā virilis est & cōstātis animi / sed imbecillis / & fœminea molitie eneruati. quod vel hac sola ratione conuincitur. quoniā nullis fletibus quantūlibet largis & in multos extētis annos: reuocari ad vitā possunt qui deflētur. Inanes igitur sunt & irritę illę lachrymę: nullūq; parientes fructum ac vtilitatem. Quod memorabili exēplo nobis prodidit rex Dauid / qui quādiu languit **2. Regū. 12.** vitamq; traxit infās ex Bersabee ei natus: ieiunauit / largasq; lachrymas effudit & ingressus seorsum iacuit super terram: deprecans dominū pro salute pueri. Cum primum vero accepit ex seruis adinuicē musitantibus mortuū esse puerū: reiecit vestes lugubres & squalidas / induitq; se cultiore amictu / faciē lauit & posita mensa epulatus est hilariter. Id cum demfrarentur serui eius / putantes q; amplius se esset afflicturus intellecta filii sui morte: qui ipso adhuc superstitēte ieiunio & fletu ita se emacerauerat / causamq; rei illius percontarentur: respondit. Propter infantē dū adhuc viueret: ieiunauit & fleui. dicebam enim. quis scit si forte donet eum michi dominus: & viuat infans? Nūc vero quia mortuus est: quare ieiuno? Nūc quid potero reuocare eum amplius? Ego vadā magis ad eum: ille vero non reuertetur ad me. Quibus sane verbis sapienter ostendit Dauid: non esse lamētādū nec dolendū pro eo / quod recuperari reuocariq;

non potest. Sed & beatus Cyprianus in sermone de mortalitate (cuius in superioribus locis nō semel facta est mentio) contestatur se diuina reuelatione sapius fuisse admonitū / immo & sibi a deo præceptū : q̄ publice cōmoneretur omnes & prædicādo doceret non esse desendos fratres : qui diuina uocatione egrediuntur hoc seculo / & hūc luctum : deo inuisum / ingratumq̄ esse. Eius uerba sunt hæc . Nobis quoq̄ Cyprianus. ipsis minimis & externis quotiens reuelatū est / q̄ frequenter & manifeste de dei dignatione præceptum est : vt contestarer assidue & publice prædicarem / fratres nostros non esse lugēdos / accensione dominica de seculo liberatos. cum sciam non eos amitti sed præmitti / recedētes præcedere : vt proficiscētes & nauigantes solent. Desiderari eos debere : non plangi. Nec accipiendas esse hic atras vestes : quando illi ibi indumenta alba iam sumpserunt. Occasionē dādā non esse gentilibus : vt nos merito ac iure reprehendant / q̄ quos uiuere apud deum dicimus : vt extinctos & perditos lugeamus . & fidem quā sermone & uoce depromimus : cordis & pectoris testimonio nō probemus. Spei nostræ ac fidei : præuaricatores sumus. simulata / ficta / fucata uidētur esse : quæ dicimus. Nichil prodest / uerbis proferre uirtutem : & factis destruere ueritatem . Hæc Cyprianus Quinimmo & Christus discipulos suos edocuit non esse dolēdum de transitu amici ex hoc mūdo / præsertim uirtute cōsummati & iustitiæ cultu percelebris : sed potius illi congratulandum . & hanc congratulationē : indicem esse & testē ueri amoris mutui quo adinuicē deuinciuntur ipsi superstites & is qui hinc demigrat. Edocuit inquam : cum his uerbis eos compellat. Si diliges Ioan. 14. retis me : gauderetis utiq̄ / quia ad patrē uado. Et se

Doctrina

- pius alias leui increpatione eos perstringit : q̄ quos-
 ties de sua abitione eis verba faceret / graui afficeretur
 tristitia & in cerore contabescerent. Vado (inquit) ad
 eum qui me misit : & nemo ex vobis interrogat me :
 quo vadis. Sed quia hæc locutus sum vobis : tristitia
 impleuit cor vestrum. Et iterum. Non turbetur cor
 vestrum neq̄ formidet. vado & venio ad vos. Quod
 & Cyprianus in prædicto sermone his verbis com-
 plectitur . Quantum profit exire de seculo : Chris-
 tus ipse salutis atq̄ vtilitatis nostræ magister osten-
 dit. Qui cum discipuli eius contristarentur q̄ se iam
 diceret recessurum : locutus est ad eos dicens . Si me
 dilexissetis / gauderetis : quoniam ad patrem vado .
 docēs & ostendēs / cum chari quos diligimus de secu-
 lo exeunt : gaudendum potius esse q̄ dolendū . Cuius
 rei memor beatus Paulus apostolus : in epistola
 sua ponit & dicit. Michi viuere Christus est & mori
 lucrum. Lucrum maximum computans : iam secu-
 li laqueis non teneri / iam nullis peccatis & vitiis car-
 nis obnoxium fieri / exemptū pressuris argentibus / &
 venenatis diaboli fraudibus liberatum : ad lætitiā
 salutis æternæ Christo vocante proficisci. Hæc ille.
 Per multa præterea super hac re / non esse inquam lu-
 gendos intemperatius mortuos : edisserit vir eloquē-
 tissimus & idem doctissimus Frānciscus Philelphus.
 præsertim in luculenta illa oratione cōsolatoria / quā
 scribit ad Iacobum Antonium Marcellum Patri-
 tium Venetum & equitem anratum : de obitu Vale-
 rij filij eius. In qua copiose / eleganter / & præclare de
 animorum immortalitate / & non deplorandis ijs qui
 hinc a deo euocantur : verba facit. Complures etiam
 epistolę beati patris Hieronymi cōsolatorię viuē-
 tium super morte defunctorum : ad idem negocium.

Ioan. 16.

Ioan. 14.

Cyprianus.

Ioan. 14.

Philip. 1.

Franciscus
Philelphus.

Hieronymus.

quod in præsentia pertractatur / mirifice conducunt. Contendunt enim & autoritatibus scripturæ & validis rationibus: non defleri immoderatus eos debere / qui vitam cum morte commutarunt. vt ea quæ ad Heliodorum scribitur de morte Nepotiani / quæ ad Paulam: super dormitione Blefillæ filiæ suæ / quæ ad Tyrasium de obitu filiæ. & reliquæ eiusdem autoris epistolæ consimilem conscribentes materiam / & cōtinuo ordine consequētes. Quinimmo cōpluscula in superioribus huius opusculi locis præsertim secundo capite & tribus continēter sequentibus dicta: plurimum etiam faciūt ad rei propositæ corroboracionem. & ex his sumi possunt rationes validæ: ad cōprobandum id quod nūc agitur. Si enim trepidare metu non debet nec formidare mortē / qui ab hac peregrinatione terrestri accersitur ad alterius vitæ statum vocante deo: quæ mors ipsa nullum detrimētum sed multa afferat hominibus commoda. consequens est & neminem debere de amicorum transitu obdormitioneque dolere / aut mœrore cōfici: quæ hac via promoueantur ad potiora bona. Cū itaque primum in dictis locis & alijs sparsim in hoc opere adductis: multifariam sit ostensum: secundum etiam iisdem prorsus rationibus & vijs monstratum esse putari debet. Quocirca receptui nunc canentes: persuasum omnibus esse velimus in morte (quæ animā a corpore dissepreat) nihil esse quod iure timeamus: nisi graues antiqui hostis insultus & conflictationes varias. Cōtra quas parāda nobis sunt arma: dum incolumē degimus vitam. tunc muniendus ijs telis animus: quibus in extremo illo conflictu & congregiamur hosti / & non succumbamus. Nam vt præclare in Parthenice Mariana canit Baptista Mantuanus.

Doctrina moriendi.

Mantuanus In pace/togaq;

Bella diu miles discit: mox obuiat hosti

Impiger/ & firmum parat ad certamina pectus.

¶ Descripta quidem pro virili nostra sunt hic arma/ & suo disposita ordine: quib⁹ in vltimo illo certamine sit vtēdum. sed maxime omnium profutura: si quis illis se assuefecerit assiduo vsu atq; exercitio/ dum vitæ adhuc fila protrahuntur/ & stamina continue deducuntur. cum recte dicat Augustinus (vt ante quoq;

Augustinus

ex eo est adductū) q̄ sero parantur remedia: cū mortis imminet periculum. Nempe id præstabit diuturna illa assuefactio: vt quando conserendæ erunt manus cum inimica acie/ conferendaq; signa in nouissimo illo duello: iam promptus & expeditus athleta neq; animo consternabitur/ neq; trepidatione concutietur. sed impiger & strenuus inibit hoc bellū: multo difficillimū. & adiutore propugnatoREQ; deo tandem victoria potitus: in cœlis triumphali coronâ insignietur. Quod nobis omnibus annuat ipse deus omnipotens & benedictus in secula. Amen.


¶ Opusculi de doctrina moriendi/ finis.

Index

- ¶ Index eorū quæ in hoc opusculo de doctrina moriendi tradūtur: secūdum ordinem capitū & materiā continuo ordine dispositus.
- ¶ Mortis descriptio atq; partitio: cū partiū eius ad inuicem collatione/ & mutua habitudine. Cap. I.
- ¶ Mortem corporis non esse nobis formidandā/ sed expetēdā potius: ob multa eius cōmoda. II
- ¶ Testimonio beati Cypriani/ mortē malū nō esse: neq; a viro prudente formidari debere. III
- ¶ Authoritate etiam beati Ambrosij / mortem non esse malum ostendi : sed in bonorum numero habendam esse. IIII
- ¶ Ciceronis item testimonio & approbatione : non esse metuēdam mortem vt malum quiddam. non tamen licere cuiq; : sibi manus inferre violentas/ & mortem consciscere. V
- ¶ Iugem mortis meditationē: homini vtilem esse / commendandamq; summopere mortificationem affectuum corporalium in hac vita. VI
- ¶ Q; multum etiam confert homini assidua consideratio fragilitatis & breuitatis huius vitæ: fluxæ & momentaneæ. VII
- ¶ Q; incerta nobis sit mors quantum ad tempus/ locum/ genus mortis & animi qualitātē: in qua morientes erimus. VIII
- ¶ Præcipuam bene moriendi doctrinam esse/ bonæ & honestæ vitæ studium : q; eam plæruncq; bona mors consequatur. IX
- ¶ Testamenti ordinationem & peccatorum confessionem : opportune & mature anteq̄ inualescat letifer morbus/ esse faciendam. X
- ¶ Sacramentum eucharistiæ ab ægroto tempestiue suscipiēdum esse/ & vnctionem extremam : anteq̄

Index

- vox ipsa & ratio mentis elanguida labascit. XI
- ¶ Quid moriens sine obmurmuratione in deū libēter & sponte accommodare se debet diuinę volūtati: in perferenda / subeundaq; morte. XII
- ¶ Patiētia sūmopere moriēti esse necessariā: ad leuiter perferēdos corporis dolores / q; b⁹ torqueat. XIII
- ¶ Non debere molestam esse egroto derelictionem bonorum externorum: deliciarum / & glorię huius mundi. XIII
- ¶ A cōsanguineis & familiaribus separationē: nō cēseri debere ipsi moriēti molestā aut difficilē. XV
- ¶ Hēsitationem omnem de fide quam suggerit hostis moriēti / esse reiiciendam: & in ipsa fide firmiter persistendum. XVI
- ¶ Ob grauitatem peccatorum ante actę vitę: non esse desperandum ipsi extrema patienti / de diuina misericordia. XVII
- ¶ Neminem ob conscientiam vitę secundum virtutem transactę: sibi placere debere / neq; magnum quid de se existimare. XVIII
- ¶ Cōtra terrorem mortis / animorū immortalitātē: & cōtra timorē instātis iudicij ab hoste immissū / diuinam misericordiam esse obijciendam. XIX
- ¶ Quid gehennę supplicia ab aduersario obiecta animo infirmi: non debent illi metum incutere / neq; trepidationem inferre. XX
- ¶ Contra tetras dæmonum laruas morientibus interdū apparētes: sanctę crucis signaculo & oratione deuota vtendum esse. XXI
- ¶ Moderandum esse dolorē rectę rationis lege: qui propter obitum cognatorum ac amicorum a plarisq; maior æquo suscipitur. XXII
- ¶ Indicis / præsentis opusculi: finis .



Memor esto iudicij mei : sic enim erit & tuum.
 Michi heri : & tibi hodie. Eccli. 38.

Temporis est nobis (si recte vtamur) abunde.
 Nec male viuentem secula longa iuuant.
 Omnia mors abolet. quare non immemor : olim
 Te fore/nunc qualem conspicias effigiem.
 Qui sapit: assidue mortem meditatur / & horam
 Cogitat extremam semper adesse sibi.

ABSOLVTVM EST HOC DEDOC-
trina moriendi opusculum, & in lucē pro-
latum, Parisijs, in officina libraria Si-
monis Colinaei, industrij in excu-
dendis libris opificis: e regione
scholæ Decretorum sita. An-
no ab incarnatione domini
(qui vitæ & mortis ha-
bet imperiū) vicesi-
mo supra sesqui-
millesimum:
die vero
Martij
secū-
da



